




NOMINE CLAROMONTANI PLERUMQUE DICTO

SEXTI UT VIDETUR POST CHRISTUM SAECULI



NUNC PRIMUM EDIDIT



CONSTANTINUS TISCHENDORF

THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, THEOLOGIAE IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS HONORARIUS, ORDINIS REGII BORUSSICI AQUILAE RUBRAE CLASSIS TERTIAE, ORDINIS REGII SUECICI DE STELLA POLARI, ORDINIS FRANCICI LEGIONIS HONORIS, ORDINIS DUCALIS LUCCENSIS DE S. LUDOVICO EQUES SOCIETATUM HISTORICAE THEOLOGICAE LIPSIENSIS ET ORIENTALIS GERMANICAE SOCIUS ORDINARIUS, SOCIETATIS HAGANAE PRO DEFENDENDA RELIGIONE CHRISTIANA SOCIUS AB EPISTULIS



LIPSIAE:

F. A. BROCKHAUS.

1852.

... OPTIMARUM CLEMENTI AC DOCTO PATRONO

FIDEI EVANGELICAE ORNAMENTO ET LUMINI

VENERABILE HOC ANTIQUITATIS CHRISTIANAE MONUMENTUM

ORBI CHRISTIANO RESTITUTUM

DEVOTA MENTE

D. D. D.

CONSTANTINUS TISCHENDORF.

Seine Majestät der König von Sachsen.
Seine Majestät der König von Preussen.
Seine Majestät der König Ernst August von Hannover.
Seine Kaiserliche Königliche Hoheit der Grossherzog von Toscana.
Ihre Königliche Hoheit die Prinzessin Louise von Sachsen.
Seine Königliche Hoheit der Prinz Albert von Sachsen-Coburg-Gotha, Gemahl der Königin von England.
Seine Durchlaucht der Fürst zu Lippe-Detmold.

Se. Excellenz der Wirkliche Geheime Rath und Minister Dr. *Bunsen*, Königlich Preussischer Gesandter zu London.

Dr. *Joseph Georg Strossmayer*, Diöcesan-Bischof von Diakova und Syrmien.

P. *Hieronymus Joseph Zeidler*, Abt des k. Prämonstratenser-Chorherrnstifts Strahow, Vaterabt mehrerer Stifte dieses Ordens, Dr. Th. u. Ph., zu Prag.

Die Kaiserliche Bibliothek zu Wien.
Die Königliche Hof- und Staatsbibliothek zu München.
Die Kurfürstliche Bibliothek zu Kassel.
Die Herzogliche Bibliothek zu Gotha.
Die Herzogliche Bibliothek zu Altenburg.
Die Stadtbibliothek zu Hamburg.
Die Universitätsbibliothek zu Berlin.
Die Universitätsbibliothek zu Bonn.
Die Universitätsbibliothek zu Giessen.
Die Universitätsbibliothek zu Greifswald.
Die Universitätsbibliothek zu Halle.
Die Universitätsbibliothek zu Jena.
Die Universitätsbibliothek zu Königsberg.
Die Universitätsbibliothek zu Marburg
Die Universitätsbibliothek zu Prag.
Die Universitätsbibliothek zu Rostock.
Die Universitätsbibliothek zu Tübingen.
Besser'sche Buchhandlung zu Berlin.-
Buchhändler *Wolfgang Gerhard* zu Leipzig

Favre *Bertrand* zu Genf. 2 Exemplare.
Professor Dr. *Abr. des Amorie van der Hoeven* zu Amsterdam
Die Gesellschaft zur Vertheidigung des Christenthums, im Haag.
Die Universitätsbibliothek zu Leyden.
Die Konigliche Bibliothek zu Kopenhagen.
Die Universitätsbibliothek zu Upsala.
Die Universitätsbibliothek zu Zürich
Buchhändler *Kemink & Sohn* zu Utrecht.
Buchhändler *W. van Boekeren* zu Gröningen

---

marginibus minutam esse, iis probatur locis ubi quae corrector secundus adnotaverat magnam partem abscisso margine perierunt, cf. 68, 1. 97, 5.; item ni fallor locis aliis multis ubi signum emendationis a correctore primo ad textum appositum est, ipsa vero emendatio desideratur: nimirum in margine adscripta fuisse ibique una cum margine perisse videtur. Cf. 90, 5. 6. 19. etc. Praeterea aliquot locis, ut 97, 6. 168, 17. 337, 18., ligatura codicis nonnibil de textu absorbuit; quamquam librarius certum versuum terminum observavit: quemadmodum lineolam transversam pro finalibus litteris N et M graecis et M latina posuit ubi parum supererat spatii (cf. pag. 18. v. 20. pag. 25. v. 10.), vel etiam minutis litteris exeunte versu usus est, ut pag. 359, 17; item 480. v. 20. ubi σανεισελζων non tantum minoribus characteribus scriptum est, sed etiam litterae σελζων infra lineam sunt collocatae.

Codex Claromontanus foliis constat 533, quorum sextum, sive id quod apud nos graeci textus paginam septimam, latini sextam efficit, reliquis paullo crassius est, quippe posteriore tempore adiectum. Item folia 162. et 163., in quibus sub sacro textu posteriore manu suppleto alia scriptura antiquior delitescit, in locum duorum deperditorum substituta sunt.

In quavis pagina, praeter inscriptionem libri plerumque repetitam, versus scripti sunt viginti unus. Exceptae sunt paginae (paginae apud nos, in codice folia) 514. et 179: priore enim loco unum, altero duo versus inter scribendum omissos ipse librarius super illum numerum et graece et latine supplevit. Item pag. 468. in stichometria veteri latina alterius columnae versus unus numerum solitum excedit. In fine vero singularum epistularum tantum spatii vacuum relinquitur quantum de tota pagina superest: quaevis enim epistula a nova pagina incipit. Quum textus stichometrice scriptus sit, versus qui plene scribantur rari sunt: aliquoties vero etiam aliquid minutis litteris infra lineam additum est, ut modo significavimus.

2. Per totum codicem et graeci et latini textus scriptio continua est. Quam in graecis editio nostra accurate exprimit, in latinis non exprimit. Hinc autem ipsius codicis auctoritatem non habuimus, *semetipsum* et similia coniuncte scribentes, rursusque alia ut *manu factum* seiungentes[1]). In ipso vero codice in inscriptionibus et subscriptionibus iisque aeque graecis ac latinis intervalla observari solent, quae et ipsi expressimus.

---

[1]) Iis tantum locis continuam ipsius codicis scripturam in latino quoque textu exprimendam curavimus ubi inde repetenda est vitiosae scripturae caussa, ut 246, 2. *nonnedicenda* 276, 10. *vestrosservuissetis*, *s* et *s* male duplicatis; 53, 5. *numnumerus* syllaba *num* male repetita; 115, 13. *idoliservientes* altero *s* omisso; 60, 3. *septemilia*, omisso *m* altero.

quod litterae unius paginae agglutinatae sunt alteri paginae, eoque vel evanuerunt vel perierunt: id quod maxime evenit locis minio scriptis, ut in latino textu pag. 53. v. 6 sqq; pag. 61, 1 sqq; pag. 70, 18 sqq; pag. 82, 1 sqq. Praeterea locis multis a correctoribus tractatis haud facile est primam lectionem assequi. De correctoribus ipsis accuratius infra videbimus; hoc loco notasse satis erit duos correctores (D** et D***) totum pertractasse textum graecum; tertium et graeca et latina passim adisse; quartum recensuisse totum epistulae ad Romanos textum latinum. Ad quos quattuor accedunt alii fere quinque qui in corrigendis locis paucis operam collocarunt.

3. Antiqua sive prima codicis scriptura ab eo uncialium litterarum genere est quod proxime accedit ad antiquissima eiusmodi monumenta, qualia sunt codex Friderico-Augustanus, codex bibliorum Vaticanus, codex Pentateuchi Sarravianus idemque Colbertinus, codex Alexandrinus, codex Ephraemi Syri rescriptus, codex Dionis Cassii Vaticanus: prorsus enim quadras ac rotundas formas habet. Litterae C et Є in extremitate semicirculi et lineae mediae in puncta admodum levia exeunt, quae ut nondum in Friderico-Augustano, in bibliorum Vaticano, in Pentateuchi Sarraviano eodemque Colbertino esse solent, ita usitatissima sunt in Alexandrino, Dionis Cassii Vaticano, in Ephraemi Syri rescripto. Eadem ratio est puncti ut ita dicam finalis quod habent lineolae tenues litterarum K T Γ Y. Litterae Π forma eo convenit cum codicibus Friderico-Augustano, bibliorum Vaticano, Ephraemi Syri rescripto aliisque, quod linea transversa ad latera non exit. Aliter est in codice argenteo Geneseos Caesareo, in Alexandrino aliisque. Porro in B H Z I Λ M N Ξ O P Φ Ψ Ѡ litterarum formis nihil est quod ab eo unciali genere quod ex codicibus antiquissimis innotuit graviter differat. I et Y litterae ubi singulatim pronuntiandae sunt, ut in αχαΐα, λωΐδι, μωϋσει, ϊνα, ϋμεις, ex more antiquissimo duobus punctis notantur; passim vero non adest nisi unum; alibi vel a correctore demum addita sunt vel etiamnum plane desiderantur. Cuius rei quanta sit inconstantia, exemplum est pag. 443, 4 sq. ubi ΪⲀΝΝΗ̄C et ΪⲀΜΒΡΗ̄C iuxta posita sunt. Ⲁ Δ et Θ litterae, quarum formam inprimis ad definiendam librorum aetatem facere constat, antiqua simplicitate atque elegantia praestant. Ⲁ enim maxime quadratam formam habet, luculento teste facsimili nostro: multo rarius quam in Alexandrino codice tenues lineae laterales ad rotundam formam inclinant. Δ littera uno scribentis ductu efformata est ita ut nihil adsit punctorum quibus laterales lineae innitantur. Eiusmodi puncta, levissima quidem, iam in codice Ephraemi Syri rescripto, in Dionis Cassii Vaticano, passim etiam in Alexandrino sunt; postea demum multo pinguiorem formam assumserunt. Ut vero nihil eiusmodi in Claromontano codice est, ita nec est in Vaticano bibliorum nec in Friderico-Augustano nec in Pentateuchi Sarraviano eodemque Colbertino. Θ denique littera plane rotunda est, ut consuetudo fert antiquissima, linea media circulum nusquam egrediente.

Universae scripturae magnitudo ut librum bibliorum Vaticanum, Friderico-Augustanum, Dionis Cassii Vaticanum superat, ita parum differt a Pentateuchi Sarraviano et Colbertino, a codice Ephraemi, a Cantabrigiensi; superatur vero a codice argenteo Geneseos Caesareo, item a fragmentis evangeliorum Vindobonensibus Vaticanis Londinensibus (Evv. I N Y apud criticos), item ab altero codice Dioscoridis Vindobonensi. In tota vero scriptura nihil est quod a sim-

Has res eo curiosius tractandas duxi ut probem quanta sit cura ponenda in rationibus palaeographicis veterum huius generis monumentorum indagandis, ut de eorum aetate cum aliqua probabilitate existimari possit: alia vero multa quae huc pertinent ex collectionibus meis afferre abs re esse visum est.

4. Accentuum et spirituum in codice Claromontano quae ratio sit, h. l. non est accuratius dicendum: quippe enim tota ad veteres codicis correctores pertinet. Qua de re mire rursus Griesbachius l. l. pag. 32. sic scripsit: *Accentus et spiritus rarissime a prima manu positi sunt; vix in tribus aut quatuor foliis unum deprehendi spiritum vel accentum ab ipso librario adpictum.* Sed praeeuntem ille habebat Wetstenium, ipsum librarium *rarissime accentus apposuisse* dicentem Nov. Test. tom. II. prolegg. p. 5. Multo vero rectius de ea re iam Montefalconius et Sabatarius scripserunt. Hic enim in admonitione praevia in epistulas b. Pauli apostoli Bibliorum sacr. lat. vers. antiq. tom. III. p. 591. codices Sangermanensem et Claromontanum sive Regium comparans sic habet: *At Regio aetate inferiorem eum esse vel ex hoc uno patet quod Graeco superpositos habeat accentus, Regius vero iisdem accentibus careat; quae omissio accentuum remotissimae antiquitatis non dubium esse indicium norunt ii omnes qui aliquem monimentorum huiuscemodi usum habuerint.* Montefalconii autem verba haec sunt: *Accentus et spiritus annotantur; sed ii secunda manu ut videtur, nec diu ut creditur post descriptum codicem adiecti sunt.* Hugius, qui de Vaticano bibliorum codice olim docte et prudenter scripsit, dormitavit de Claromontano codice exponens: Einleitung in die Schriften des N. T. 1826. I. p. 291 sq. Pendere Hugii disputationem magis a Griesbachio quam ab ipsius codicis examine, clarum fit inde quod Griesbachii errorem, quem is ab aliis[4]) receperat, repetiit, ex quo vetus scripturarum sanctarum stichometria, quae pagina (folio) 468 sq.

---

[1]) Recensuerat antea antiquissimos codices graecos, ut Pentateuchi Sarravianum, Ephraemi Syri rescriptum, Geneseos argenteum Caesareum, Dioscoridis Caesareum.

[2]) Haec de latino scribae genere coniectura quam improbabilis sit, etsi in graeco latino codice facillime cuivis in mentem venit, uberius infra demonstrabitur. Ceterum eadem coniectura iam ante Griesbachium Wetstenio placuerat, cf. Nov. Test. tom. I. Prolegg. p. 33. lin. 14 sq. ab imo; Griesbachio vero proprium hoc est quod ab ipsis graecis litteris ad latinum librarii genus conclusit.

[3]) De palaeographicis huius codicis rationibus uberius exposui in Studiis et Criticis theologicis anni 1844.

[4]) Wetstenius etiam hoc addidit l. l. pag. 6., inter epistulam ad Philemonem et stichometriam interiectas esse aliquot vacuas paginas. At eo loco nulla prorsus pagina vacua interiecta est. Absoluta vero stichometria fol. verso 469. librarius non potuit quin sequentem folii 470. paginam vacuam relinqueret: debebat enim graecae columnae in altera pagina exhibitae opponere in altera latinam. Quo de loco ne quem editio mea fallat, cf. appendix sub 469, 1 sqq.

υμιν και ειρηνη – – ημων – – Πρώτον – – παντων υμων – – πίστις υμων καταγγέλλετε. Tum vero vocibus a correctore secundo improbatis passim additus est accentus vel spiritus. Sed iis locis idem corrector accentum vel spiritum iam posuerat antequam lectionem mutandam censeret: id quod plerumque in aperto est. Contra innumeris locis lectionem ab illo correctore reiici ex eo ipso planum fit quod desunt accentus et spiritus, ut 91, 19. και αι εκκλησιαι πασαι του $\overline{\chi\upsilon}$.

Maxime autem ad probandam sententiam nostram idoneus est locus 92, 8 sqq. Ibi enim corrector postquam voces quattuor primas ex more accentu notaverat, totam doxologiam quam vocant improbandum duxit proptereaque ab addendis accentibus atque spiritibus abstinuit. Iam vero per hos versus novem omnes nihil prorsus eorum signorum invenitur.

5. Atque haec quidem de graeca codicis Claromontani scriptura. Latina vero et ipsa antiquam uncialis scripturae colorem refert, simillima latinae scripturae codicis Cantabrigiensis, quam si universam spectas, tum etiam in eo quod eandem uterque litterarum *d*[2]) et *b* formam habet. Quae formae etsi ab antiquo more recedunt, tamen in pluribus monumentis perantiquis immixtae antiquioribus formis inveniuntur. Ita non modo in celeberrimis Pandectarum membranis Florentinis fit, quemadmodum alphabeta inde desumta apud Henr. Brenemannum testantur in historia Pandectarum etc. Traj. ad Rhen. 1722.; sed idem etiam observavi in inscriptionibus antiquitatis Christianae in ea Vaticani porticu quae ad bibliothecam ducit expositis. Cf. ibi loculum ab imo quartum (*dalmatius* etc.), quintum, octavum, decimum nonum (*dulcissimo filio olympio celerina mater* etc.).

6. Compendia scripturae in codice Claromontano non habentur nisi quae iam antiquitatem adamasse scimus. Sunt enim in graecis $\overline{\text{ΘC}}$, $\overline{\text{IC}}$, $\overline{\text{XC}}$, $\overline{\text{KC}}$, $\overline{\text{ΠNA}}$, $\overline{\text{ΠHP}}$, $\overline{\text{MHP}}$, $\overline{\text{ANOC}}$, $\overline{\text{OYNOC}}$[3]), cum declinatis $\overline{\text{ΘY}}$, $\overline{\text{ΘΩ}}$, $\overline{\text{ΘN}}$ etc; item $\overline{\text{IHA}}$, $\overline{\text{IΛHM}}$[4]) et $\overline{\text{IHM}}$ (cf. 85, 10. 86, 20.), $\overline{\text{ΔΑΔ}}$[5]). Nusquam vero και aut ται per compendium scribitur, neque magis μου aut similia alia iam in antiquissimis aliquot libris obvia. Item in latinis inveniuntur $\overline{\text{DS}}$[6]), $\overline{\text{DMS}}$ ($\overline{\text{DMI}}$, $\overline{\text{DMO}}$, $\overline{\text{DMN}}$, $\overline{\text{DOM}}$), $\overline{\text{IHS}}$, $\overline{\text{XPS}}$, $\overline{\text{SPS}}$ cum declinatis; praetereaque passim N· pro *noster* in formulis eiusmodi ut $\overline{\text{IHV}}$ $\overline{\text{XPI}}$ $\overline{\text{DMI}}$ N· pag. 1, 13.[7]). Denique in utroque textu lineola transversa ad compensandas litteras finales graecas M et N, latinam M adhibetur, ut CΑΛΠ̄, ЄXΩMЄ̄, MEV̄.

---

[1]) Et hoc Rugii de epistula ad Hebraeos testimonium et Griesbachii de scriba latino coniecturam cum fiducia repetiit Scholzius in editione Novi Testamenti et in introductione ad libros V. et N. T., nisi quod in posteriore opere illud quod est de epistula ad Hebraeos in emendandis revocavit, meis scilicet observationibus meliora doctus.

[2]) Notabile est in veteri stichometria latina pag. 168 sq. non *d* sed ∂ haberi.

[3]) Plene scribitur e. c. pag. 472, 8. ουρανοι, 334, 11. ουρανον.

[4]) Plene scribitur e. c. pag. 84. 3. ιερουσαλημ.

[5]) Plene scribitur pag. 61, 2. δαυειδ, item pag. 482, 8. Posteriore tantum loco ε a correctore exstinctum est.

[6]) Passim atque inprimis ab initio epistulae ad Romanos DEVS, DEO, DEVM scribitur, sed nihilominus superposita est lineola compendii.

[7]) Idem in eadem formula saepius plene scriptum habes: e. c. pag 93, 11. 289, 12.

interpunctionis signa quae proprie dicis textus codicis Claromontani non habet, sed compensat eo quod stichometrice est scriptus. Stichometria enim insignis quaedam interpunctionis ratio erat, ad epistulas Paulinas primum ut constat adhibita ab Euthalio diacono Alexandrino anno 462: cuius exemplum mox multi, praesertim Alexandrini et qui cum illis litterarum commercium habebant, secuti sunt[2].

Arabescorum quos vocant per totum codicem fere nihil invenitur praeter eos quos in fine epistulae ad Hebraeos apposuimus. Eiusmodi signa passim ubi epistula exit adpicta sunt.

7. Sed antequam ab hac codicis descriptione discedamus, dicendum est de **facsimili** nostro. Exscriptum id est ex ipso codice mihique, qua est erga me benevolentia, transscribendi caussa traditum a Tregellio clarissimo theologo Anglo. Egregie ab eo ipsam codicis scripturam redditam esse non dubito.

Versu 1. και υμεις additamentum primi correctoris est, a secundo correctore auctum accentibus.

Versu 2. sub υ, quod secundi correctoris est, latet α primae manus; item v. 3. αι sub ε.

ε versu 6. a primo correctore, v. 18. a secundo est additum.

Versu 7. ιδιους in margine secundus corrector addidit, sed signum iam posuerat primus.

Versu 11. pro εναντιον correctum est εναντιων; item v. 16. εφθασεν pro εφθακεν: κ vero in margine a recenti correctore (D^nov) adnotatum est.

Accentus et spiritus ubique a secundo correctore appositi sunt, nisi forte apostrophum super επ ante αυτους iam a prima manu positum esse velis.

Praeterea non est quod dicam quantopere nostrum facsimile imperfectas Montefalconii aliorumque delineationes superet.

8. Continentur autem codice Claromontano epistulae Pauli omnes hoc ordine:

Epistula ad Romanos. De graeco huius epistulae textu versus primi sex cum parte septimi desunt. Prae-

---

[1]) Numerus passim desideratur, ut etiam in facsimili nostro.

[2]) Passim ex neglecta ratione stichometrica probabile fit aliquid in exemplari vetustiore unde Claromontanum exemplar fluxit omissum fuisse vel certe defuisse in textu, nec in novum exemplar transisse nisi ex marginibus illius, ut 134, 2 sqq., quorum versuum ratio stichometrica in codice Boerneriano sic habet: Ινα ιουδαιους κερδησω Τοις (cod. Τους) υπο νομον ως υπο νομον Μη ων αυτος υπο νομον Ινα τους υπο νομον κερδησω. Cf. etiam pag. 92, 8 sqq. 107, 21. 42, 3. Mutuam rationem graecorum et latinorum illustrant 52, 4. 59, 17.

1. His expositis dicendum erit qua aetate codex Claromontanus videatur scriptus esse. Iam enim plura tractata sunt quae ad eam rem definiendam faciunt: cuiusmodi inprimis sunt scripturae et graecae et latinae genus; accentuum spirituumque ratio; interpunctio. Resumam ab eo quod ultimo loco posui, ab interpunctione. Quum enim constet stichometricam rationem ad Pauli epistulas ab Euthalio Alexandrino primum adhibitam esse anno 462., clarum est post hunc demum annum Claromontanum codicem posse scriptum credi. Brevi post illum annum Euthalius, iam ex diacono Alexandrino episcopus Sulcensis factus, ad epistulas Pauli addidit et actus apostolorum et catholicas epistulas: quem laborem Athanasio episcopo Alexandrino sui amantissimo misit. Quae vero ab utroque episcopo rei novae commendatio proficiscebatur, ea vel maxime confirmata est egregia utilitate quam stichometria ad intelligendum recitandumque textum habebat. Unde factum est ut eadem mox in Alexandrinorum potissimum consuetudinem abiret, ab iisque rursus, tunc per totum litterarum orbem in arte scribendi celeberrimis, ad ceteras Christiani orbis terras transiret. Ad latinam quoque eamque Hieronymianam versionem mox eam adhibitam esse, testatur praeter alios Amiatinus codex circa annum 541. scriptus, qui iam totum Novi Testamenti textum stichometrice exaratum continet: quod ab eius codicis auctore primum institutum esse minime probabile est.

2. Sed quaeritur quanto tempore codex Claromontanus ab Euthalii aetate discedere videatur. Qua in re non negligendum est, codicem Claromontanum pariter ac fragmentum Paulinarum epistularum celebre Coislinianum, siglo H apud criticos insignitum a prima manu nec accentus habere, licet iam ab eodem Euthalio textui epistularum Paulinarum additi sint, nec magis Euthalianas singularum epistularum subscriptiones. Hinc enim apparet Claromontanum codicem non ad eiusmodi exemplar compositum esse quod proprie Euthalianum dixeris, quippe ex ipso opere Euthalii derivatum; sed stichometriam tantum inde translatam fuisse. Hanc vero solam transferre et facilius erat quam una accentus spiritusque transscribere, et tutius quam illas coniecturas doctorum ecclesiae ab Euthalio receptas addere. Tamen et istas coniecturas et accentus cum spiritibus postea in plerosque codices transisse notum est.

3. In scriptura vero codicis Claromontani nec graeca nec latina quicquam invenitur quod ab Euthalii aetate graviter differat, nisi quod latinarum litterarum *b* et *d* forma non antiquissima est, quamvis utramque ad sextum iam saeculum, ne dicam quintum, pertinere, non modo maxime probabile est sed etiam data opera extra dubitationem poni poterit. Alia si componimus monumenta manu scripta, tanta inter Claromontanum codicem et Cantabrigiensem similitudo intercedit ut eidem uterque saeculo adscribendus videatur. Graecae vero scripturae genus quod in his codicibus est non modo eiusdem sed etiam maioris antiquitatis speciem habet quam scriptura codicis Caesarei Dioscoridiani eius quem Montefalconius in Palaeographia graeca pag. 195 sqq. illustrat[1]). Maioris enim antiquitatis speciem

[1]) Nostrum iudicium non a Montefalconio pendet sed ab ipsius codicis examine, quod anno 1844. Vindobonae instituimus.

4. Quibus a rebus si ad ipsum textum codicis Claromontani par est progredi, hunc textum codice multo antiquiorem esse apparet. Iam enim ante medium saeculum tertium latinam epistularum Paulinarum interpretationem in usu atque auctoritate fuisse, testis est cum aliis Cyprianus, episcopus Carthaginiensis. Huius vero interpretationis, quam apud Afros secundo iam saeculo primum prodisse idoneis argumentis demonstrari potest et iam demonstratum est a pluribus, in epistulis Pauli nullus exstat testis Claromontano codici similis, nedum praeferendus. Boernerianus enim, qui solus comparari potest, minime immunis est a posterioribus studiis[2]). Claromontanus autem codex Afrae interpretationis antiquissimae eo purior atque certior testis est quum, ut infra videbimus, et patriam ipsam Africam et auctorem latini sermonis tantum non ignarum habuisse videatur.

Quam de antiquitate textus Claromontani sententiam quum antiquissimorum latinorum scriptorum testimonia[3]), tum duae maxime res mirum in modum confirmant. Canon enim sanctarum scripturarum stichometricus, qui in codice nostro epistulam ad Philemonem excipit, ita comparatus est ut in eum modum non potuerit componi nisi antequam ex ecclesiae auctoritate subtilius de canone praeceptum esset. Magnum in eo momentum non tantum hoc habet

---

[1]) Hunc codicem mecum communicavit vir summe venerabilis William Cureton.

[2]) Assentientem habeo Carolum Lachmannum, qui in prolegomenis Novi Testamenti 1842. pag. XII sq. haec scribit: *Boernerianus caute tractandus fuit, ut pote saeculo nono apud Sanctum Gallum scriptus (hoc enim Rettigius accurate docuit), sane ad exemplum vetus Graecum et Latinum, sed a librario qui et Hieronymianam in manibus haberet et ipse grammaticam Dosithei degustasset.*

[3]) Unum tantum locum prae ceteris insignem in hanc rem laudare mihi liceat. Loco epistulae ad Romanos 5, 14. testes longe plerique sic scriptum habent: ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωυσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ. Graecorum omnium quos consulendi copia est non est nisi Origenes qui absque μὴ locum scripsisse videatur, cf. Griesbachii Symbol. crit. II. pag. 475. et eiusdem Diss. de codd. Origenianis pag. 39. De latinis vero patribus inprimis Hilarium diaconum (quem Ambrosiastrum dicere solent), Rufinum, Augustinum testes habemus, in antiquissimis latinis codicibus absque negatione eum locum scriptum fuisse. Ita enim de eo disserit Augustinus de peccat. meritis et remissione I, 10. *Scio quidem plerosque latinos codices sic habere* ***Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen in eos qui peccaverunt in similitudinem*** (plerumque lectio apud Augustinum inter *–dinem* et *–dine* fluctuat) ***praevaricationis Adae:*** *– – – graeci autem codices, unde in latinam linguam interpretatio facta est, aut omnes aut paene omnes id quod a me primo positum est* (h. e. *– – et in eos* [*iis*] *qui non peccaverunt – –*) *habent.* Iamvero in codice Claromontano non modo a prima manu deest *et*, quod arctissime cum negatione ad lectionem loci addita coniunctum est, sed ipsa etiam negatio in serie textus desideratur. Quam etiamsi a prima vel coaeva manu supra lineam suppletam esse ponimus, a continuo textu codicis eius unde Claromontanus transscriptus est abfuisse eam dubium non est. Praeterea iste locus valet ad indicandos locos eos quibus graecus textus a latino differt. Quum enim hoc probat, graeca latinis non de industria accommodata esse, tum antiquissimam lectionem passim fidelius in latinis quam in graecis conservatam esse.

arguente Vercellensi codice similibusque, locis sat multis vel interpolationem vel corruptionem expertus est.

5. His de aetate quum ipsius codicis tum textus quem is continet ea qua par erat cura disputatis subiungam exempli caussa Morini Sabatarii Griesbachii de aetate codicis sententias, etsi intelligentibus viris facile clarum erit doctos homines illos subtiliore scientia rerum palaeographicarum non instructos fuisse. Illud enimvero omnino probe tenendum est, perdifficile esse iudicium de aetate codicum graecorum uncialium, neque id aliter posse ad quandam probabilitatem perduci nisi codicibus eiusmodi omnibus qui aetatem tulerunt summa cum diligentia excussis. Cui rei in itineribus meis per Europam et orientem susceptis ita operam dedi ut mihi multo plura quam ante me alii ulli in usum meum convertere liceret. Quum enim magnus sit uncialium scripturarum numerus quas in oriente vel primus vidi vel inde in patriam attuli, tum permulta ex bibliothecis Italiae Franciae Angliae Bataviae Helvetiae Germaniae eaque partim parum cognita collegi edendae novae Palaeographiae graecae profutura. Quod quum iam alibi dixi, tum repetendum duxi in usum eorum qui etiam in re palaeographica maiorum aliquot nominibus verbisque securi inhaerere quam rerum caussas indagare et doceri meliora malunt.

Sed ad Morinum Sabatarium Griesbachium redeundum est. Morinus enim in Exercitationum biblicarum Parte priore (Lutetiae 1633.) pag. 108. haec de codice Claromontano scripsit: *Quapropter consideratis figura magnitudine et splendore characteris tam graeci quam latini, illius ob vetustatem per se ipsum multis in locis dimidiata obliteratione passimque subobscura delineatione, versionis insuper cum vulgata textuque patrum comparatione, S. Hieronymi aetatem istius codicis scriptio videtur omnino praecedere.* Porro Sabatarius in Bibliorum sacrorum latinis versionibus antiquis, tom. III. p. 591. breviter sic: *Regius codex non minus quam ducentos annos supra mille praeferre videtur* (haec scripta sunt anno 1750.), *ut cuivis in huiusmodi rebus perito obvium est.* Griesbachius denique, quocum etiam Hugius[2] aliique

---

[1]) Idem nobiscum Carolus Lachmannus sensit, cuius haec sunt verba: *quod si hodie illi codices Graeci extarent quos ante finem saeculi secundi in occidentem perlatos et Irenaeus et Latini versarunt interpretes, nobis necesse non esset pro fontibus rivos consectari. sed non est ea temporum nostrorum felicitas, quippe quibus vix duo illorum antiquissimorum occidentis* (occidentis nomine Lachmannus etiam Africam comprehendere solet) *librorum exempla multo recentiora satis accurate cognoscere liceat; alterum Parisiense, quod falso* (nimirum hoc Wetstenius docuit, vide infra ubi de possessoribus codicis sermo est) *nomine Claromontanum usurpatur, uncialibus litteris circa saeculum septimum* (secutus in his est Lachmannus Montefalconii verba *septimo circiter saeculo scriptus* Palaeograph. gr. pag. 217: codicem enim ipsum suis ille oculis non viderat. Lectiones autem graecas ex Wetstenii collatione, latinas ex Sabatarii opere repetiit; qua de re videbimus infra), *alterum Boernerianum nono saeculo apud Sangallenses scriptum. nihilo minus per hos duo libros Graecos efficitur ut epistularum Pauli* (nam has complectuntur solas) *multis partibus certior lectio sit quam reliquorum novi testamenti librorum, quorum nulla exemplaria supersunt in occidente scripta.* Vide C. Lachmanni Nov. Test. graece et latine, tom. I. pag. XIX sq.

[2]) Non possum autem quin h. l. adscribam Hugii de Cantabrigiensi codice iudicium: quod enim de hoc dixit, dum modo verum assecutus sit, id prorsus in Claromontanum quadrat. Postquam enim formas Alexandrinas in eo codice obvias recensuit (sunt autem in nullo codice alio frequentiores quam in Claromontano), ipsumque librarium parum graece, minus etiam latine scisse dixit, in hunc modum pergit:

contra est enim quicquid codici peculiare est, ut statim accuratius dicemus. Multo probabilius patriam eius Africam proconsularem dixerim. Qua enim in terra latina interpretatio primum prodiit, in eadem maxime descripta esse recte existimatur, eoque magis hanc patriam Claromontanus codex sibi poscere videtur quum omnium liberrimus sit ab Italica emendatione. Quod longe aliter in Italia atque in tota Europa latina fieri solebat. Cuius rei testes habemus codices eos qui sine dubio ab occidentalibus hominibus sive Europaeis latinis scripti sunt et, quum pariter atque Claromontanus graecum textum cum latino coniunctum habeant, ipsius graeci textus indole proxime ad Claromontani accedunt similitudinem: codices dico Boernerianum, Augiensem, Sangermanensem, Sangallensem. Ac de Boerneriano quidem id quod huc valet iam dictum est supra pag. XV. Isto vero multo etiam magis a textu antiquo latino deflexerunt ii qui tres libros reliquos conscripserunt, etsi graecum textum antiquissimis Alexandrinis testibus simillimum fideliter repetierunt.

2. Sed prae Africa proconsulari Alexandriam pro codicis patria habere consentaneum est: quam civitatem scimus celeberrimam fuisse calligraphorum sedem, a quibus qui transscribebantur codices in totum litterarum orbem perferebantur. Qua de re non modo Strabonis est testimonium lib. XIII. §. 54.[1]), sed etiam Athanasius Alexandriae episcopus narrat, Constantis Augusti rogatu volumina codicum sacrorum se conficienda et ad eum mittenda curasse[2]); quemadmodum etiam verosimile est ab Alexandrinis artificibus confectos esse quinquaginta divinarum scripturarum codices illos quos ex Constantini Magni mandato Eusebius Caesareensis, Alexandrinis codicibus constanter usus, misit Byzantium[3]).

Quodsi igitur liber, ut argumenta probant, Alexandriae scriptus est, aetas eius satis accurate definiri potest: scriptus est enim post Euthalium, sed antequam Alexandria ab Arabibus expugnata esset, quinti saeculi ultimis temporibus vel saeculo sexto, tum quum Graeci operosum calligraphorum quaestum desererbant totumque Aegyptiis cedebant, hominibus pauperibus atque industriis, sed nec graece nec latine doctis.

[1]) Hoc loco Strabo id ipsum dicit, et Romae et Alexandriae libros εἰς πρᾶσιν describi, una querens de vitiositate codicum eiusmodi – – βιβλιοπῶλαί τινες γραφεῦσι φαύλοις χρώμενοι καὶ οὐκ ἀντιβάλλοντες· ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει τῶν εἰς πρᾶσιν γραφομένων βιβλίων καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.

[2]) Eam rem Athanasius ita refert ut conicere liceat, tale mandatum nihil novi aut insoliti habuisse. Cf. Athanas. Opp. ed. Benedict. tom. I. pag. 297. πυκτία τῶν θείων γραφῶν κελεύσαντος αὐτοῦ μοι κατασκευάσαι, ταῦτα ποιήσας ἀπέστειλα.

[3]) Cf. Euseb. de vita Constantini IV, 36 et 37. Item Theodoret. hist. eccl. I. 16. πρέπον γὰρ κατεφάνη τὸ δηλῶσαι τῇ σῇ συνέσει ὅπως ἂν πεντήκοντα σωμάτια ἐν διφθέραις ἐγκατασκεύοις, εὐανάγνωστά τε καὶ πρὸς τὴν χρῆσιν εὐμετακόμιστα, ὑπὸ τεχνιτῶν καλλιγράφων καὶ καλῶς τὴν τέχνην ἐπισταμένων γραφῆναι κελεύσειας, τῶν θείων δηλαδὴ γραφῶν etc.

epistula ad Hebraeos petita quae vitiositate eminet; sed similia nec in reliquis epistulis rara sunt; cf. 166, 20. *praophetae* 174, 4. *nonvissimos inimicos destruitur mors;* 178, 7. *quod spiritalis est;* 199, 3. *aborentur,* etc.

4. Huc accedit graeci textus ratio Alexandrina. Quicquid enim formarum Alexandrinarum quae dici solent in evangeliorum codicibus A B C D aliisque Aegyptiacae originis habetur, id vel constanter vel plerumque in Claromontano codice reperitur. Eiusmodi sunt λημψεται, προσλημψις, ανεπιλημπτοι, αδιαλειπτος et αδιαλιπτως (Rom. 1, 9. est αδιαλιπτως); επενψαμεν, πενπει, προπενφθηναι; απολημψεσθαι (pro eo 346, 6. D** απολημψ., D*** απολημψ.); συνκληρονομοι, συνπαθησαι, συνβασιλευσωμεν, σπλανχνα, συνφυτοι, ενπροσθεν, μεμιανμενοις, συνμιμηται, ενλογα, συνστεναζει; γυμνιτευομεν, ολεθρευων; εχθες; εφ ελπιδι, αφιδω, καθ εμε, ουκ εαυτω; συγγενην, ασφαλην; πιν, αποδεκατοιν, ειδες, παρεδιδετο, ειπα, εωρακαν, επιαν, επεσαν; ερυσατο, ευαγγελισαμην, καταισχυνθην, παραρυωμεν, εποικοδομησεν, ενοικησεν. Etc.

Atque haec quidem ad grammaticam sermonis graeci peculiaritatem pertinent. Confirmat vero etiam coniecturam nostram ipse textus eo quod Africana interpretatio, quacum egregie ille conspirat, ad antiquissimos instituta est codices Alexandrinos, ita ut ab his Claromontanus vel maxime derivatus esse videatur.

5. Denique Alexandriam potius quam Africam proconsularem codicis nostri patriam fuisse antiquorum correctorum quos expertus est ratio suadet. Haud dubie enim mox in graecas manus transiit: quippe primus corrector, qui totum textum graecum recensuit, in latinis ne litteram quidem attigit. Vero autem similius est ab Alexandria quam ab Afris latinis ad graecorum hominum usum codicem perlatum esse. Excepit primum illum correctorem alius qui cum graeco etiam latinum textum perlustravit, sed paucos tantum locos mutavit: cuius de genere nihil confidenter dixerim. Rursus vero duo vel potius tres secuti sunt qui in graecis emendandis acquieverunt. Post hos exstitit qui perpauca et graece et latine notabat. Nescio an circa idem tempus subscriptiones latinae amplificatae sint. Tandem homo haud dubie latinus totam ad Romanos epistulam retractavit. Hinc post aliquot demum saecula codicem ad latinos homines pervenisse certum est. Nihilominus innumeri loci vitiose scripti correctorem non invenerunt.

Quae quum ita sint, de patria et auctore codicis nostri mihi sic videtur. Scriptus est a calligrapho Alexandrino sive in Africa proconsulari sive, idque praestat, apud ipsos Alexandrinos. Ac destinatus quidem ille erat ad Latinorum usum; sed postquam fortasse in Graecorum monasterium aliquod illatus esset, post plura demum saecula a Graecis ad Latinos occidentales pervenit.

---

[1]) Horum vitiorum exempla haec sunt: 3, 14. τι (pro τινα) καρπον 5, 1. νοουμεν pro νοουμενα 12, 19. κλεπεις omisso τ 13, 21. γραματος 14, 9. επαι omisso νος 15, 12. πω pro πως 23, 21. ουτωσται pro ουτωσεσται 55, 2. δικαιοσυν omisso ην. Ex alio genere sunt litterarum αι et ε, ει et ι permutationes frequentissimae.

superscripsit, ut 222, 13. ubi est αχ super παρλησεως (παραχλησεως); 288, 7. ubi est τ super σαυρω (σταυρω); 435, 15. ubi στ super ονηφορου (ονησιφορου) positum est; 239, 16. ubi supra lineam positum est $\overline{χυ}$, quo textus carere nequit nec latina versio caret. Quae quidem si quis dubitat an ipsius primae manus sint, non poterit quin addita ab eo putet qui recens scripta recognosceret[1]. At talem hominem, si studium suum ad hunc codicem adhibuisset, multo plura emendaturum fuisse arbitror; eoque minus locis quibusdam ambiguis ad talem emendatorem confugere consentaneum est quum emendationes aliae multae haud dubie in primam manum cadant. Ita etiam supplementa duo haec: 514, 10. et 179, 22 sq. in graecis et latinis; de quibus cf. appendix.

Denique passim correctio ipsius librarii eo cernitur quod si quid, quod ex lege stichometriae sequenti versu scribendum erat, iam iis quae praecedunt adscribere coeperat, id intellecto errore deseruit addita improbandi nota, vel etiam totum abluit aut erasit. Huiusmodi est 172, 1. ο post νεκροι: sequitur enim proximo versu ουχ; 303, 1. κ post αποστολεις, ubi versus is qui sequitur a και incipit; 449, 17. ubi post Σπουδασον priora eorum quae seq. versu leguntur deleta videntur; 188, 16. ubi librarius post υμας iam addiderat εις, quod proximo versu scribi oportebat. Etc.

2. Sed antequam correctores codici manum admoverent, accidit ut folium sextum, sive id quod apud nos paginam in latinis sextam, in graecis septimam efficit, quod casu aliquo excidisset, suppleretur. Cuius supplementi scriptura ex eodem uncialium litterarum genere est, tantamque in utroque textu similitudinem antiquissimi textus gerit ut ad ipsum folium deperditum credas conformatum. Quae coniectura inprimis eo commendatur quod ter DEVS plene scriptum lineolam compendii impositam habet, v. 1. $\overline{\text{DEVS}}$, v. 8. $\overline{\text{DEI}}$, v. 14. $\overline{\text{DEVS}}$, quemadmodum etiam 5, 8. $\overline{\text{DEVM}}$, 5, 17. $\overline{\text{DEI}}$, 7, 8. $\overline{\text{DEVM}}$, 7, 10. $\overline{\text{DEVS}}$, similiterque per totam priorem partem epistulae ad Romanos scribitur, non item vero in reliquis codicis epistulis. Differt autem a codice supplementum et crassiore membrana[2] et atramento fusco. Possit facile quinquaginta vel centum annis ipso codice posterius esse. Nihilominus antecessit correctores omnes: iam primi enim eorum vestigiis certis notatum est.

---

[1]) Is est qui Straboni XIII, 54. ὁ ἀντιβάλλων dicitur. Queritur autem Strabo id ipsum quod codicibus iis qui in venditionem et Romae et Alexandriae conficiebantur eiusmodi studium non contingere solebat.

[2]) Supra, ubi de aetate et patria codicis dicebamus, commemorandum etiam hoc erat, miram membranarum quibus constat elegantiam quum eximiae antiquitatis signum esse — posterioribus enim saeculis codices crassioribus membranis fieri solebant — tum suadere Aegyptiacam originem: in Africa enim potissimum tenuissimae membranae ex antiloparum pellibus confectae et codicibus scribendis adhibitae esse videntur.

επου (D*** vero ουχ επου). Pro επιαν 136, 3. πιν 130, 9. αποδεκατειν 492, 9. correxit επιον, πιειν, αποδεκατουν, sed επεσαν 137, 5. non mutavit nec ηργασαντο 522, 6. nec ελεθρευων 521, 6. Ex his omnibus apparet primum correctorem Alexandrinam codicis scripturam magna cum moderatione mutasse ac multa quae eiusdem rationis esse putantur rata habuisse. Haec autem in homine docto, qui id ipsum agit ut insolentiam antiquae ac peregrinae scripturae corrigat, multo sunt graviora quam in librariis quae scribunt saepe ignorantibus.

Minime vero corrector iste in orthographicis his atque grammaticis acquievit; sed omnibus modis textum mutavit. Haud raro transpositiones vel versuum vel verborum indicavit: quod plerumque sic fecit ut versibus transponendis litteras Α Β Γ etc. praeponeret, verbis vero quae transponi volebat imponeret obelos in hunc modum: ˊ ˊˊˊ ˊˊ ˊˊˊˊ. Maiorem partem lectionum quae primo correctori placebant corrector is qui post eum totum codicem recensebat confirmavit; de quibus accuratius infra videbimus. Sed nec desunt lectiones primo correctori propriae, quarum aliquot exempla afferamus. 74, 2. D** ex αποβαλωμεθα fecit αποθωμεθα, sed D*** revocavit priorem lectionem: 228, 15. D** pro μη αν mavult μη sine αν, D*** vero μηπως εαν : 235, 12 sq. D** legit ενκρειναι εαυτους η συνκρειναι τισιν, D*** vero εγκριναι η συγκριναι εαυτους τισιν : 253, 20. D** scribit το λοιπον, D*** restituit λοιπον: 312, 10. D** facit αναπαυσθε, D*** restituit αναπαυσθαι : 314, 13. D** corrigit το πνευμα το αγιον, D*** restituit το αγιον πνευμα : 386, 19. D** habet ενα εκαστον, D*** cum prima manu εκαστον : 449, 20. D** scribit σπουδης, D*** rursus πουδης : 456, 15 : D** υποτασσεσθωσαν, D*** ad priorem lectionem υποτασσεσθαι redit : 517, 3. D** pro στειρα mavult η στειρα, sed D*** improbat et η et στειρα. His locis adnumerandae sunt sat multae verborum transpositiones quas posterior corrector improbavit eo quod obelos ab illo super textum positos rursus abstulit, ut 165, 9. 171, 6 sq. 172, 11 sq. 470, 8.

Haud paucis locis ubi posterior corrector textum emendavit iam a primo correctore signum positum est. Eo signo aut ad marginem lectores delegasse videtur, ita ut emendatio cum ipso margine abscissa putetur, aut tantummodo aliquid corrigendum esse indicavit, quamvis id ipsum quod volebat non adscriberet. Aliquot vero locis tale signum a posteriore correctore rursus deletum est, ut 90, 6. ubi praeterquam quod signum ⁄ adpictum est, etiam ερωτω inclusum est uncis; D*** vero ερωτω spiritu et accentu notavit. Eo loco vix dubium est quin D** in locum verbi ερωτω voluerit παρακαλω substitui; sed id non adscriptum est.

In appendice saepe significavimus dubium esse an cum posteriore correctore etiam prior correxerit. Hoc iis maxime locis fit ubi aliquid de textu prorsus erasum est. Passim quidem in ipsa litura signum delendi comparet, iam a primo correctore positum; sed nec a radendo ille plane abstinuisse videtur. Etiam ab atramento quo correctum est oritur dubitatio. Prioris enim correctoris atramentum flavi vel potius fulvi aliquid habet, posterioris fuscum est: passim vero posterior colorem suum emendationi prioris induxit, idque tam curiose fecit ut primo obtutu unum tantum scripsisse putes.

nesciebat Symb. crit. II. pag. 46. 40, 12. adscripsit μη κατα σαρκα περιπατουσιν, atque in latinis *non secundum carnem ambulantibus*. Praeter epistulam ad Romanos e. c. 90, 4. punctis improbavit και τους, item 96, 12. τουτου ad κοσμου apposuit. Sed exemplorum iam satis est; plura enim desideranti appendix copiam faciet[1].

Hunc correctorem, quem non cum fiducia Griesbachii (l. l. pag. 39.) „Latinum procul dubio“ dixerim, excepit is cui notam D**c dedimus. Atramento is utitur subfusco, non enim e fusco candidans dixerim, ductu unciali, accentibus nullis. Correctiones eius non cum eadem perspicuitate auctorem produnt atque eius qui modo praecessit. Exempla mihi haec in promtu sunt. 6, 19. ex δε fecit τε, quod D*** eo agnovit quod non apposuit accentum: appositurus enim fuisset si δε maluisset. 18, 2. ex μαρτυρεμενη fecit μαρτυρουμενη. 19, 5. ad δικαιουν adnotavit τα, unde δικαιουντα factum est. Postea D*** super ου circumflexum posuit[2]. Eiusdem videntur esse 40, 4. αι pro ε in Ταλεπωρος correctum; 47, 17. Πεπισμαι pro Πεπισμε; 102, 7. χυ pro κυ.

5. Sed iam transeundum est ad correctorem eum qui non modo totum textum codicis Claromontani graecum accentibus spiritibusque instruxit et pleraque quae orthographiam spectant ad leges Graecorum grammaticas revocavit, sed etiam aliam eius textus recensionem quam dicunt codici inferre studuit. Is quin Graecus fuerit, iam propterea dubium non est quoniam latinam versionem pariter ac primus corrector nusquam attigit. Perite nec ineleganter scribit, atramento fusco[3] eoque nitido. Litteris utitur uncialibus, neque ullo loco, quamvis bis mille et quod excedit locus corrigeret, ad minusculum quod dicitur litterarum genus desciit: quod sine dubio futurum erat si minusculis formis iam assuetus fuisset. Est autem istud unciale genus oblongum magis quam rotundum, quod inde a septimo saeculo adhibitum vulgatumque esse certum est. Similis est ea codicis Claromontani scriptura codici evangeliorum M (cod. Reg. nunc Nation. 48.)[4], item codici evangeliorum W (Reg. nunc Nation. 314.), item correctori secundo codicis Ephraemi Syri rescripti. Nono cum saeculo vixisse maxime probabile est.

---

[1]) Griesbachius Symb. crit. II. pag. 40. erravit quod 87, 3. (Rom. 15, 2.) θυ et ΔΙ huic correctori tribuit. Illud enim sine dubio a D***, hoc a d** profectum est. Ceterum de Griesbachii circa hos correctores studiis infra videbimus.

[2]) Falsus est de h. l. Griesbachius, etsi professus est se nescire unde emendatio esset, Symbol. crit. II. pag. 46. In margine enim τα non repetitum est; sed est ⅄ a D*** adpictum. Eiusmodi nota ecclesiastica sane rarissima est in cod. Clarom., sed sine dubio significat τελος, atque h. l. rectissime indicat finem antiquae sectionis ecclesiasticae eius quae ab Οἴδαμεν δὲ ὅτι v. 19. usque πίστεως Ἰης. v. 26. pertinebat. Simile signum passim in latinis aliena manu appositum vidi, ut 149, 18. 173, 11.

[3]) Male Griesbachius l. l. pag. 40. huius correctoris atramentum „splendens nigredine“ dicit.

[4]) Facsimile huius codicis apud Montefalconium Palaeogr. graec. pag. 260. satis iniquum est.

dialecti formarum grammaticarum ad consuetudinem antiquorum Graecorum conformavit.

Nihilominus ne huius quidem correctoris studio contigit ut scriptura graeca codicis Claromontani vitiis omnibus liberaretur: quemadmodum etiamnum intacta sunt 117, 17. εἶστιν (cum hoc spiritu secundi correctoris) 361, 10. μεριμήσει 214, 12. πρόσκότος (omisso ς altero) 253, 9. χαίρωμεν pro χαίρομεν 374, 4. κω τῷ χῷ 148, 10. γραιώδεις 133, 5 ἀναζωσπυρεῖν. Neque magis orthographia ad perfectam constantiam, quae quidem in paucis codicibus antiquis reperitur, perducta est. Ita, ut pauca exempla videamus, intacta manserunt 389, 11. ἀρχανγέλου 371, 10. εὐανγελίου 136, 2. εὑρεῖν ἔλαιον 29, 21. παριστῆλθεν 19, 1. ἔνδιξιν 232, 17. παρρὼν 89. 5. ἀσπάσασθαι (pro -σθε) 358, 5. ὑπερέροντες 338, 10. περιετνήθητε 31, 8. σύνφυτοι 54, 10. σειών. Inveniuntur etiam loci qui paullo incuriosius correcti sunt, ut 323, 4. περιεζωσαμενοι pro περιεζωσμενοι scripsit, ε non deleto; item 335, 11. ἐφανερώθεν pro φανερωθεν, quum deberet -ρώθη scribere; item 344, 3. μεμφὴν (volebat μομφην) pro μεμψιν. Ita per incuriam etiam D** 322, 4. Τα τεκνα υπακουεται correxit, quum recte a prima scriptum esset -ετε.

Ipse textus quem codex ab hoc correctore nactus est proxime accedere videtur ad universam indolem duorum codicum uncialium noni fere saeculi. Alter est codex bibliothecae Angelicae Romanae, siglo I ad epistulas Paulinas plerumque notatus; alter Mosquensis quem ad easdem epistulas siglo K notavi. De patribus autem eiusdem textus testes esse solent Chrysostomus et Theodoretus. Qua de re accuratius quaesituros ad editionem meam Novi Testamenti Lipsiensem II. delegare licebit.

Restat autem ut accentuum et spirituum nec non apostrophorum rationem quam antiquus ille codicis Claromontani corrector secutus est diligentius describamus. Haec enim quae fuerit in homine saeculi noni eoque haud dubie docto et signorum illorum quemadmodum apud Graecos adhibebantur peritissimo, accurate cognoscere criticorum philologorum interesse videbatur. Hinc operam dedi ut quicquid sive ab ipsis Graecis sive ab hominibus graece doctis vario modo scribi solet adnotarem. Huc pertinent nomina propria haec: ἀβραάμ, cf. 20, 3. 49, 9. 242. 267. 477. δαυεὶδ 61. ἑρμογένης 435. εὔβουλος 449. ἠλία 59. ἠσαΐας 53 bis. λίνος 449. συντυχὴν 368. τυχικός 327. 347 448. φιλητός 439. Porro haec nomina substantiva et adiectiva: θλίψις 47, 8. 123, 14. ἑβραῖος 364. ἑκατονταέτης 24, 4. κήρυξ 434. κρίμα 8. 28. 149. 150. 282. 414. 422. ἐσφῦν 325. πρᾶξιν 68, 4. σατάν 247. σπῖλον 320. στῦλος 416. 262. τροφός 378: iam notaverat librarius primam acuto, sed eo rursus deleto gravem in ultima posuit. Item ex verbis haec: κρᾶζον 274. συνιών 16, 10. συνιεῦσιν 235. Adverbiis εἰκῆ et κρυφῆ non esse iota subscriptum, non est quod

---

[1] Cf. 309, 19. ubi οι a D** post κατaντησωμεν v. 18. additum, a D*** vero obelo transfixum et ante παντες v. 19. transpositum est. Item 457, 4. ubi D** η post θυ v. 3, D*** vero ante σωτηριος v. seq. scripsit. Item 479, 20 sq. της.

[2] Cf. 306, 10. ubi ad γνωναι D** apposuit τε; iam vero est γνῶναί τε. Item 429, 6. ubi D** addidit σε ad τηρησαι, D*** vero scripsit τηρῆσαί σε.

[3] Hoc ita fit: ⸌διαυτου⸍ sive ⸌διαυτου⸍.

[4] Sed huc non pertinet ν ἐφελκυστικόν ante consonantes, quod is corrector aliquot locis ipse demum addidit, ut 502, 7. βρώμασι[ν] καὶ πόμασι[ν] καὶ 84, 19. κλίμασι[ν] τούτοις.

γε ὑμῖν εἰμι (sic) 130, 1. ἐν ᾧ εἰσίν 336, 19. διακονιῶν εἰσίν 175. καὶ ἐστέ 338. πρός τινα 344, 3. ἐν τιμῇ τινὶ 341. τήν τινων 439. καϑὼς φασίν τινες 15, 20.

Pronomen reflexivum αυτου ubique αὑτοῦ scribitur, nusquam αὐτοῦ. Cf. 77, 15. οὐδὲν κοινὸν δι' αὑτοῦ. 59, 10. οὐκ ἀπώσατο ὁ ϑ̅ς̅ τὸν λαὸν αὑτοῦ. 512, 21. ὅτι κρινεῖ κ̅ς̅ τὸν λαὸν αὑτοῦ. 313. ἕκαστος μετὰ τοῦ πλησίον αὑτοῦ. 321, 12. α̅ν̅ο̅ς̅ – – πρὸς τὴν γυναῖκα αὑτοῦ. 199, 12. ἕκαστος τὸν πολίτην αὑτοῦ.

Duplicatum ρ nusquam spiritibus notatur. Ita est ἐρρύσατο, ἐρριζωμένοι, ἐρρήϑησαν, παρρησία etc.

Passim accentu, prout acutus aut gravis ponitur, certa quaedam interpunctio significatur, ut 342, 21. ὀργήν ϑυμόν κακίαν. Plerumque exeunte versu pro gravi acutus ponitur, ut ὀργή καὶ ϑυμὸς, ubi litteris β α super και et ϑυμος positis iam D** transpositionem singulorum verborum indicaverat, quam eandem D*** comprobavit accentuum ratione.

Perquam raro accentus vitiose positi sunt, ut συνδοῦλου 329. ἀγαπάτε 345. σχῆμα 124. γιγνῶσκειν 353, 6. ἐφ' ᾧ 27, 16. κἀκείνος 438. Passim vero deest accentus ut nulla sit in omissione gravitas. Cf. 283, 20. πορνία 250, 13. γαρ 328, 10. καὶ πατρι 330, 11. και συνέσει 331, 5. τῷ πατρι 335, 21. και διδάσκοντες 335, 21. της γης 341, 21.

6. Correctorem D*** exceperunt quos in appendice diximus D***b et D:: (in latinis d***d). Prior qui subnigro atramento utebatur, primas tantum paginas attigisse videtur. Ad eum pertinent 2, 10. litterae C et P, de quibus cf. appendicem; item 3, 9. CMЄ inepte pro erasis OMЄ restitutae.

D:: vero, cuius litterae et graecae et latinae, atramento fusco eoque plerumque rutilante scriptae, aliquid artificiosum habent, aliquot utriusque textus locos attigit. Correctore D*** posteriorem eum esse non modo inde apparet quod quae scripsit etiamnum accentibus carent, sed etiam duobus locis emendationes a D*** profectas rursus improbavit. 4, 17. enim D*** voluerat διοτι, D:: vero rursus deleto δι restituit οτι. Item 135, 9. correcturi D*** υπωπιαζω placuerat, D:: revocavit υποπιαζω. Praeterea locos tractavit hosce: 21, 13. addidit οτι; item 21, 17. και; item 23, 7. εστιν; item 24, 18. εις δικαιοσυνην et *ad iustitiam*. 24, 1. pro *in fidem* scripsit *fide*. 25, 6. in δικαίωσιν (iam D*** accentum posuerat) puncto notavit ν eique superscripsit νην, ut fieret δικαιοσυνην; sed factum ita est δικαίωσινην.

7. Post tempora correctorum D** et D***, i. e. decimo fere saeculo, evenit etiam ut supplerentur duo folia quibus graece continetur 1 Corinth. XIV, 13—22. Cf. pagg. 163. 164. Conscripta sunt haec supplementa duobus

γλωσση. το πνα μου προσευχεται. ο δε νοῦς μου ακαρπος εστιν· 163, 18—164, 8. επειδη τι λεγεις. ουκ οἶδεν· συ μεν γὰρ καλῶς ευχαριστεῖς· αλλ' ο ετερος ουκ' οικοδομεῖται· Ευχαριστῶ τω θω· πάντων ϋμων μαλλον. γλωσση λαλῶ· αλλὰ εν εκκλησία θέλω. πέντε λόγους τω νοΐ μου λαλῆσαι. ἵνα και ἄλλους κατηχήσω. ἢ μυρίους λογους εν γλώσση·

Quaesivit Griesbachius Symb. crit. II. pag. 51. de ipso textu huius supplementi de eoque sic scripsit *Textus supplementi, si universum eius habitum spectes, simillimus est textui codicis totius: ad eandem recensionem pertinet, atque cum iisdem libris manuscriptis concordat.* Rursus ibidem pag. 54. *Cum simillima sint, quod ad textus indolem attinet, primitivo totius codicis textui,* etc. At haec minus recte habent. Iudicandus est enim iste recentior textus graecus ex ea maxime parte cuius latina versio superest ab ipsa antiquissima manu scripta, i. e. 1 Corinth. XIV, 18—22. In his vero differunt τω νοι μου λαλησαι et *loqui per sensum meum* (Boern. cod. λαλη ομεν τω νοι μου); item ταις δε φρεσιν τελειοι γινεσθε et *ut sensibus perfecti sitis* (Boern. cod. ινα τ. φρ. τ. γενησθαι); item ουδ ουτως et *nondum* (Boern. cod. ουδεπω). Quae utriusque textus discrepantia eo plus momenti habet quoniam his locis omnibus latinum Claromontani codicis textum in Boerneriano, ut iam indicavimus, etiam graece expressum legimus. Illud vero facile clarum fit, supplementum istud ex antiquo codice eoque bonae notae fluxisse.

Ceterum quaesitum etiam est quando illud foliorum par ex codice excidisse videatur. Ac recte iam Griesbachius statuit l. l. pag. 54., quo tempore corrector D*** totius codicis textum graecum recognosceret, illa folia nondum videri avulsa fuisse. Quodsi enim iam tum perissent, cum ipsum qua esset codicis emendandi diligentia restituturum fuisse probabile est. Graviter vero erravit Wetstenius quod N. T. II. prolegg. 6. ipsi correctori D*** hoc supplementum adscripsit. Nulla enim est inter supplementum et correctoris D*** notas scripturae aut accentuum vel spirituum aut atramenti similitudo. Neque magis cum Wetstenio eidem correctori tribui potest nota folio ei quod supplemento antecedit adscripta: λειπ διφυλλην, cuius loco scriptum iam erat eadem manu εν φυλλον, sed id antequam λειπ vel *simile aliquid* adderetur rursus obelo exstinctum est. Quamvis enim atramentum et scriptura notae haud aliena sint a correctore D***, tamen incredibile est eum contra morem suum tam vitiose et sine accentibus scripsisse

8. Perventum est ad duorum hominum latinorum studia in codice Claromontano conspicua. Alterius sunt subscriptionum latinarum, quae sub singulis epistulis leguntur, augmenta, accurate a nobis relata in appendice. Sunt ea cum artificiosa quadam imitatione antiquarum litterarum uncialium scripta, atramento fere subcaeruleo, quale est correctoris D**b. Praeter eas subscriptiones nihil attigisse videtur[2]. Alter vero undecimo fere saeculo litteris

[1] Hac de re vide infra ubi de collatoribus codicis exponitur.

[2] Per incuriam accidit ut Griesbachius l. l. pag. 53. scriberet, eundem hominem latinum fuisse qui hypographas quum graecas nonnullas tum inprimis latinas novis additamentis augeret. Per incuriam eum ita scripsisse dixi, quoniam quisque videt alio tempore alium in graecis alium in latinis subscriptionibus amplificandis operam collocasse. Graecas enimvero, ut supra exposui, ipse corrector primus tractavit. Sed fefellit Griesbachium memoria, diu post quam codicem oculis perlustrasset symbolas suas criticas scribentem.

In promtu est nihil ab eo homine illatum codici ullam antiquitatis laudem aut auctoritatem habere.

Itaque, ut breviter repetam cum siglis in appendice adhibitis, hic fere correctorum codicis Claromontani ordo est.

D^{b} [4]) : is supplevit folium sextum, i. e. sextae paginae columnam latinam, septimae columnam graecam. Exeunte saeculo sexto?

D^{**} : Graecus septimi fere saeculi. Totius codicis textum graecum recensuit.

D^{**b} : idemque in latinis d^{**} dictus. Paucos correxit locos utriusque textus.

D^{**c} : Perpauca in graecis mutavit.

D^{***} : Graecus noni fere saeculi ineuntis. Textum graecum per omnes codicis partes diligenter recensuit.

D^{c} [5]) : is est qui duobus foliis rescriptis supplevit graece 1 Corinth. XIV, 13—22.

D^{***b} : Paucissima attigit eaque parum apte.

D^{**}_{**} : idemque in latinis d^{**d}. Aliquot locos et graece et latine correxit.

d^{**c} [6]): corrector is est qui latinas subscriptiones suis additamentis auxit.

d^{***} : homo latinus qui totum epistulae ad Romanos textum latinum eumque solum recensuit.

D^{nov} : Erat is fortasse ex monachis monasterii eius unde codex in manus Theodori Bezae pervenit. Passim notandae lectioni primae operam dedit; item, ni fallor, capita Hugonis Cardinalis adscripsit.

10 Hoc loco breviter attingenda videtur quaestio quae est de Sangermanensi codice. Hunc descriptum esse ex Claromontano codice a plurimis correctoribus iam pertractato, rectissime vidit Griesbachius Symb. crit. II. pag. 77 sqq. [7]), postquam similiter iam Wetstenius Sabatarius aliique statuerant. Descriptus est autem graecus textus ineptis-

---

[1]) Tria exempla in promtu habeo quae huius correctoris consensionem cum antiquissimo codice Fuldensi contra vulgatam editionem Clementinam pariter atque contra codicem Amiatinum probant: 87, 4. (Rom. 15, 32.) 87, 16 sq. (Rom. 16, 3.) 88, 18. (Rom. 16, 8.) Primo loco est *requiescam* pro *refrigerer*, altero *adstitit mihi* (Fuld. addit *ipsi*) *et multis* pro *adstitit multis et mihi ipsi*, tertio *dilectum* pro *dilectissimum*.

[2]) Hoc loco signo additum est nō i. e. *non*.

[3]) Hoc loco additum est signo h̄ i. e. *habet*.

[4]) [5]) [6]) Sigla haec tria: D^{b}, D^{c}, d^{**c}, in appendicem non recepimus.

[7]) Eius verba sunt: *Dubitari prorsus nequit, nostrum* (i. e. Sangermanensem) *codicem Claromontani esse apographum.*

codicis apographum, neque contra est si forte invenimus quae scriba Sangermanensis per incuriam aut inscitiam aliter atque in Claromontano scripserit. Quod vero locus Coloss. 2, 13. Griesbachium vexavit Symb. crit. II. pag. 83 sq., id ex mero errore fluxit Wetstenii. Is enim quum ad ὑμᾶς post συνεζωοποίησεν A C notare debebat, A E notavit. Deest enimvero ὑμᾶς in Sangermanensi pariter atque in Claromontano: id quod nec aliter ab Ed. de Muralt in N. T. pag. 661. notatum est.

Atque haec quidem de graeco codicis Sangermanensis textu. Latinus vero et ipse maximam partem transscriptus est ex Claromontano, nisi quod passim, ut ex lectionibus a Sabatario inde exscriptis concludendum est, mutatus est ad alium textum eumque cum Hieronymiano plerumque consentientem. Quae res in scriba occidentali nihil mirum habet, nisi quod aliis locis multis vitia Claromontani exempli ineptissima fideliter repetiit[1]). Sed utrumque ita factum esse videtur ut alius mutationes Claromontani textus indicaret, alius ex mandato serviliter scriberet.

Quo tempore Sangermanense apographum paratum sit, difficile dictu est: certum vero est, codicem Claromontanum iam correctores D**, D*** et D:: expertum et supplemento duorum foliorum rescriptorum iam auctum fuisse[2]) antequam Sangermanensis inde describeretur. Quid quod ex ratione loci Rom. 8, 1. probabile fit, antea etiam latinum epistulae ad Romanos textum iam a correctore d*** recensitum fuisse. Transiit enim in Sangermanensem codicem lectio haec: *qui non secundum carnem ambulant sed secundum spiritum*. Quorum verborum prior pars etiam ex Hieronymiano codice sumi poterat; sed quum una cum verbis *sed secundum spiritum* in nullo Hieronymianae versionis codice repertis transscripta sit, tota lectio ex Claromontano repetita esse videtur. Sequitur autem, etsi quod postremo loco vidimus non urgeamus, codicem Sangermanensem saeculo decimo priorem haberi non posse[3]).

---

[1]) Post Sabatarium, apud quem ex utroque codice haud pauca vitia notata sunt, ad hanc rem facit index lectionum vitiosarum, quibus in Sangermanensi nunc Petropolitano codice epistula ad Hebraeos depravatur, ab Ed. de Muralt in Catalogo codicum bibl. imperial. publ. gr. et lat. fasc. I. pag. 3. nota 7. exhibitus.

[2]) Docuit enim Griesbachius l. l. pag. 54. etiam haec vitia ἐπὶ (163, 13.), ἀμὴν (163, 16.), γινώσκεται (164, 10.), nec non ἐκλήρωσα (164, 3.) unde ineptus scriba σκλήρωσα fecit, ex rescriptis foliis in Sangermanensem transisse. Una vero res satis mira est. Latinus enim textus decem illorum versuum qui in Claromontano suppleti non sunt, etsi quemadmodum in Sangermanensi est plerumque cum vulgata facit, tamen aliquot locis ita ab ea discedit ut vel propius ad Boernerianum accedat codicem vel teneat quod non aliunde innotuit. Hinc alicui in mentem venerit, videri eos versus ex ipsis foliis iis quae rescriptis compensata sint fluxisse. At hoc non modo vitiis utriusque columnae graecae supra laudatis improbabile fit, sed obstat etiam graecus textus versuum 8—12. qui in Claromontano non periit: huic enim tribus potissimum locis, quum satis respondeat Boerneriani codicis interpres, latina Sangermanensis versio non respondet. Cf. Εἰ τύχοι v. 9., γένη φωνῶν ibidem, et ἐστιν v. 11.

[3]) Montefalconius, qui Palaeogr. gr. pag. 218. septimo circiter saeculo Sangermanensem codicem exaratum dixit, quam graviter falli se passus sit, in promtu est.

... appellatione sua non constat: modo enim eum codicem qui nunc Cantabrigiensis est Claromontanum dixit[1]), modo eum qui nunc Parisiensis est[2]). Vindicant autem Cantabrigiensi prae Parisiensi Claromontanum nomen res plures a Wetstenio l. l. commemoratae, quarum gravissimam h. l. attulisse satis erit. Refert enim Marianus Victorius in notis suis ad Hieronymi opera de antiquissimo graeco codice quem Tridentum attulerit Claromontanus episcopus anno 1546. Hunc episcopum fuisse Guilielmum a Prato eumque ad confirmandam latinam lectionem Ioh. 21, 22. *si eum volo sic manere usque dum venio* codicis illius antiquissimi protulisse lectionem graecam ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν οὕτως ἕως ἔρχομαι, constat ex actis synodicis. Quae lectio quum nusquam nisi in Cantabrigiensi codice reperta sit, dubium non est quin hunc ipsum Claromontanus episcopus in concilium Tridentinum attulerit. Recte autem Wetstenius simul monuit, Clarum Montem non esse obscurum illud apud Bellovacos coenobium, sed antiquissimam episcopi sedem apud Arvernos (Auvergne), unde et episcopus Guilielmus a Prato et is quo utebatur codex Tridentum pervenerit.

Quodsi igitur codex is quem Beza Cantabrigiensi academiae dono misit a Claro Monte recte nomen gerere censendus est: quaeritur de nostro codice quid sit statuendum. Quum autem Beza duobus nominibus inclytum codicum suorum par dicat, alterum Claromontano, alterum Lugdunensi, prius vero nomen evangeliorum actuumque codici conveniat, alteri qui Pauli epistulas continet convenire alterum, certe si ex verbis Bezae verum coniiciendum sit, sententia est Wetstenii. Hanc vero rursus is ita circumscripsit ut pro Lugdunensi Cluniacensem dici codicem mallet: ex Cluniaco enim coenobio prope Matisconem nec ita procul a Lugduno inter turbas belli civilis illum prodisse vult. Quam in rem locum laudat historiae Thuani, apud quem tom. I. lib. XXXI. pag. 221. haec leguntur: *Sub id tempus* (i. e. a. 1562.) *Poncenacus Lugduno a Subisio summissus cum Helvetiis auxiliaribus, quibus praeerat Nic. Diesbachus antiquae nobilitatis vir in Bernatum pago — — Interea Poncenacus Cluniacum nobilissimum toto Christiano orbe coenobium impetu capit: in cuius direptione longe copiosissima et omni librorum manuscriptorum suppellectile instructissima bibliotheca, magno studiosorum dolore et incredibili rei literariae, quod vix unquam sarciri poterit, detrimento, militari licentia aut incendio periit.* Cui loco Wetstenius addit N. T. I. p. 3. *Unde istum codicem exigua sua mole servatum miles forte Helvetius in patriam retulit; ubi Beza nescio quo pacto acquisivit, qui eo primum usus est in editione N. T.* 1582. Haec coniectura Wetstenii magnam sine dubio probabilitatis speciem habet. Poterat autem codex ex incendio Cluniaci pri-

[1]) Ita ad Luc. 19, 26: *Malim cum illo vetustissimo Claromontano codice servata particula γὰρ versiculum 25. expungere.* Item ad Act. 20, 3. *Caeterum codex ille noster Claromontanus totum hunc locum sic legit* etc. Utrumque non potest nisi in Cantabrigiensem quadrare.

[2]) Ita eo loco quem modo laudavimus ex praefatione editionis Novi Testamenti 1582.

studiosissimum. Hic utrum ab ipso Beza dum vivebat, an demum postquam Beza anno 1605. mortuus esset, codicem acquisiverit, dubitari potest. Illud vero quam hoc probabilius fit ex litteris Casauboni ad Iosephum Scaligerum datis anno 1601., unde haec in ipsum codicem transscripta sunt:

Casaubonus Iosepho Scaligero An. MDCI.

Codex τοῦ μακαρίτου Puteani. Liber est venerandae vetustatis, maiusculis literis exaratus, habens e regione versionem Latinam, longe aliam ab ea quae edita.

A Claudio vero Puteano ad Petrum et Iacobum filios transiit, nobile par fratrum, litterarum studio animique generositate celebritatem nominis assecutum. Praefecti erant bibliothecae Regiae inde ab anno 1635. usque ad annum 1656., quo Iacobus vita discessit quinquennio post Petrum fratrem. Eodem anno copia librorum lautissima a Puteanis patre filiisque undique congesta ex Iacobi Puteani legato ad regem Ludovicum XIV. pervenit. Sed Claromontanus codex non tam ex hoc legato quam ex emtione iam ante annum 1656. cum aliis libris manuscriptis in numerum Regiorum codicum receptus esse videtur[1]). Ab illo inde tempore inter pretiosissimos bibliothecae Regiae thesauros eminebat atque etiamnum eminet.

3. Sed restat ut mentionem faciamus detrimenti gravissimi quod codex Claromontanus fecit quinquaginta annis post quam Regiae bibliothecae ornamentum exstitisset. Anno enim 1707. Iohannes Aymont, qui ex Delphinatu Hagam Comitum se receperat indeque adierat Parisios, rediturum se fingens ad ministerium Romanae ecclesiae quam deseruerat, turpiter abutens fide Clementis tum custodis bibliothecae Regiae, cum libris manuscriptis aliis pluribus folia triginta quinque Claromontani codicis furtim abstulit[2]). Quod damnum tam acerbum post annos viginti duo penitus

---

[1]) Hanc historiae codicis partem ex iis contexui quae auctor catalogi librorum impressorum bibliothecae Regiae a. 1739. de huius bibliothecae historia exponens docet. Cf. Catalogue des livres imprimez de la bibliotheque du Roy. Théologie. I. P. Paris 1739. pag. XXIII. Rigault — — resta encore attaché à la bibliotheque et y conserva son logement jusque vers l'an 1635. Il quitta en ce temps-là la garde de la librairie — —. Sur sa démission, sa place de Garde fut donnée aux doctes freres Pierre et Jacques Dupuy, parens de M. de Thou. — — Pierre, qui estoit le plus sçavant, et dont la vie a esté escrite en latin par Nicolas Rigault son predecesseur dans l'employ de Garde de la bibliotheque du Roy, mourut en 1651. Jacques son frere resta seul en possession de la charge de Garde; il continua de l'exercer jusqu'au 17. novembre 1656. qu'il mourut, en rendant sa memoire immortelle dans la bibliotheque royale, par le legs qu'il luy fit des livres que luy et son frere avoient amassez. Ils consistoient en plus de neuf mille volumes imprimez, sans compter plus de deux cens manuscrits qu'ils avoient déja vendus au Roy. Plusieurs de ces manuscrits sont d'une très-grande antiquité, surtout le fameux exemplaire grec et latin des Epistres de S. Paul, escrit en lettres majuscules; il avoit appartenu à Claude Dupuy Conseiller au Parlement, pere de Mrs. Dupuy, comme on le voit par la signature, laquelle se trouve encore sur quelques autres, qui sont presque aussi estimables.

[2]) De hac re copiosius expositum est in Catalogo modo laudato. Cf. ibi pag. XLVI — VIII. Vers le temps de cette derniere acquisition arriva dans la bibliotheque le vol qui fit alors tant de bruit et qui causa tant de chagrin au bon M. Clement. Une espece d'aventurier, nommé Jean Aymont, Prestre du Dauphiné, ayant changé de religion, s'estoit retiré à la Haye. — — Aymont estant venu a Paris au mois d'avril 1706., M. Clement luy procura tous les secours qui dépendirent de luy: il le presenta au Ministre et ensuite au Cardinal de Noailles,

dicem Exercitationibus suis biblicis de hebraei graecique textus sinceritate etc. Lutetiae Parisiorum 1633. Cf. lib. I. exercit. II. cap. IV. cum hoc titulo: *In locis centum quadraginta et aliquot ex codice graeco epistolarum S. Pauli vetustissimo vulgata ecclesiae versio confirmatur. Innumeraque loca referuntur quae haeretici contra omnium manuscriptorum fidem se graece edere et latine vertere fatentur.* Pagg. 107—120[4]).

---

qui, pour s'assurer de la conversion de cet apostat le fit entrer au seminaire des Missions estrangeres. Cependant deux pitoyables memoires qu'il avoit remis — — avoient fait juger du caractere du personnage, et il fut méprisé comme il le meritoit. Nous avons de luy une lettre — —. Nous croyons en pouvoir presumer que ce fut pour se vanger de ce mépris, autant que pour se preparer les moyens de se justifier en Hollande quand il y seroit retourné, qu'il abusa de la trop grande confiance de M. Clement. — — Il s'évada au mois de may 1707. — — En faisant cette recherche, M. Clement n'avoit jugé du vol que par l'exterieur des livres — —. Il fut aussi surpris qu'affligé lorsqu'on luy fit remarquer quelque mois après les feuillets qui avoient esté arrachez ou coupez dans differens manuscrits, surtout dans celuy qui passe pour le plus rare et de l'antiquité la plus venerable, les épistres de S. Paul, en grec et en latin, escrites sur velin en lettres d'or (hoc per errorem scriptum est), et qu'on croit des premiers siecles de l'Eglise; il y manquoit trente-cinq feuillets. — —

[1]) Ita rectissime, opinor, Wetstenius habet N. T. II. pag. 5. In catalogo vero aeque ac in nota codicis manu scripta per mirum errorem *Milord Oxford et Mortimer* et *Milord d'Oxfort* legitur.

[2]) Cf. Catalogum l. l. Tout ce qu'on a pû recouvrer de ces feuilles ainsi enlevées — — c'est d'abord une feuille du volume des épistres de S. Paul, et un autre feuillet de la bible de Charles le Chauve. Un particulier escrivit de la Haye en 1720. qu'il avoit acheté l'un et l'autre d'Aymont luy-mesme — —: il en fut remboursé après avoir envoyé le tout à la bibliotheque. D'un autre costé Milord Oxford et Mortimer (in nota manu scripta codici adiecta est: milord d'Oxfort seigneur anglois), dans la bibliotheque de qui les trente-quatre autres feuillets du volume des épistres de S. Paul estoient entrez, renvoya ces précieux débris en 1729. à la prière de M. l'abbé Bignon, et avec une générosité qui mérite nos éloges, autant que nostre reconnoissance: par-là ce manuscrit que les sçavans regardent comme inestimable, a esté restabli dans sa parfaite integrité.

[3]) Huic volumini haec nota manu scripta praefixa est: Ce volume contenant trente quatre feuillets arrachés ou coupés du fameux et precieux ms. des Epitres de St. Paul par l'Apostat et le Scelerat Aymon, fut renvoyé à M. l'abbé Bignon au mois de . . . . . (nomen mensis deest) 1729. par milord d'Oxfort (vide supra) seigneur anglois. Il les avoit acheptés (ou fait achepter) du voleur Aymon. Folia autem olim erepta haec sunt: 146—150. 1 Cor. 11, 22—12, 10. graece (apud nos graeca columna folii 146. invenitur pagina 147. etc.) 173 sq. 1 Cor. 15, 26—35. graece. 178 sq. 1 Cor. 15, 50—16, 1. graece. 205 sq. 2 Cor. 5, 1—10. graece. 332—338. Coloss. 1, 19—2. 16 graece. 357 sq. Phil. 2, 3—13. graece. 384 sq. 1 Thess. 3, 10—4, 5. graece. 449—461. 2 Tim. 4, 21—Tit. 3, 20. graece.

[4]) Pag. 109. legitur: *Hoc autem vetustissimum epistolarum Paulinarum volumen in virorum clarissimorum fratrum Puteanorum manus pervenit, qui pro ea quae mihi cum eis intercedit amicitia et ea qua sunt erga omnes literarum studiosos benevolentia, illud utendum libentissime mihi mutuo dederunt.*

Omnium vero maxime lectionibus graecis huius codicis excerpendis de re critica promeruit Iohannes Iacobus Wetstenius. De quo labore ipse testatur verbis his: *A me ipso denique bis et quantum potui accuratissime collatus est annis* 1715 *et* 1716. Folia autem triginta quinque (per errorem apud Wetstenium legitur *sex*)[1], quae illo tempore furtim ablata erant, postquam bibliothecae Regiae restituta essent, in Wetstenii gratiam cum editis contulit T. Nieuwenhuis, Amstelodami apud Mennonitas Theologiae Professor.

2. Quam Wetstenius diligentiam in excutiendo hoc codice a se adhibitam dixit, eam praestitam viri critici agnoverunt eo quod in iis quae ille dederat acquiescendum putarunt. Abstinuit a nova collatione Griesbachius, etsi in examinandis aliquot locis minus subtiliter Wetstenium versatum esse et intellexit et docuit[2]. Etiam Lachmannus, quum in edendo Novo Testamento suo codicem Claromontanum maximi faceret, lectionibus Wetstenii uti satis habuit, adsumtis paucis Griesbachii supplementis[3]. Neque est quod ipsi parvi aestimemus quae summae Wetstenii industriae debentur, quam quidem per totum saeculum a nemine superatam scimus. Attamen multum abest ut critico antiquissimi huius monumenti examini satisfecerit. Quod hoc loco non sic probabimus ut omnes eos locos recenseamus quos vel neglexit vel perperam tractavit: iam enim cuiuscunque interest codicem Claromontanum ad rem criticam adhibere, non lectiones a Wetstenio collectas sed nostram editionem consulere debebit. Satis igitur erit, quam imperfecta collatio Wetstenii sit, accuratius indicare et additis aliquot exemplis probare.

Primum ille latinum textum exceptis paucis locis prorsus neglexit: quod non recte fecit propterea quod locis multis latina a graecis differunt, nec raro in latinis antiquior aut rectior quam in graecis lectio superesse videtur. Ita 486, 4. *exauditus* confirmat lectionem εισακουσθεις, non quod in graeca columna legitur ακουσθεις. 486, 14. in graeco est και περι, in latino vero και recte abest. 498, 5. praestat *quanto et melioris* quam εσω κριττονες : item 496, 7. *sacerdotes* quam ο αρχιερευ[ς] : item 509, 21. *hoc testamentum* quam αυτη δε η διαθηκη. 510, 20. graece est προσερχομεθα (hoc ipsum Wetstenius male praeteriit), latine vero *accedamus*. Similiter 532, 1. pro graeco εξερχομεθα latine legitur *exeamus* : 518, 1. ad ξενοι graece, non item latine, και παροικοι additur. 328, 1. (quem locum etiam Wetstenius observavit) latine legitur *Christi Iesu*, graece ιυ χυ : item 374, 5. *a deo* et απο θυ πρς.

Porro correctorum rationes parum indagavit: non modo enim nihil studii posuit in distinguendis singulis correctoribus[4]), quos inter se magnopere differre supra docuimus; sed etiam innumera neglexit quae a correctoribus

---

[1]) Indicem eorum quae foliis illis continentur Wetstenius recte exhibuit, excepto loco 1 Thess. III, 1., quod III, 10. esse debebat.

[2]) Cf. Symb. crit. II. pag. 45. ubi concludit, *Wetstenium satis quidem accurate codicem contulisse, interdum tamen vel primitivam lectionem vel emendationem silentio praeteriisse.*

[3]) Cf. N. T. graece et latine. I. pag. XX: „*in Claromontano Ioh. Iac. Wetstenii sequimur auctoritatem; nisi quod huius aliquot errores Ioh. Iac. Griesbachius in Symbolarum criticarum volumine altero indicavit, quod Halae edidit anno* 1793.

[4]) Cf. Wetsten. N. T. II. pag. 5. *Duae autem manus in illo codice clarissime distingui possunt, scriptoris et correctoris.* Eidem correctori, in quem unum Wetstenio coeunt nostri D** D**b D**c D*** D:: etc., etiam supplementum rescriptum 1 Cor. 14, 13—22. tribuit.

μεγας γενομενος usque αδελφων αυτου cum prima manu agnoscit D**, non item D***.

Atque haec quidem de latino textu et de correctoribus. Sed etiam in ipso antiquissimo textu sat multa praeteriit quum leviora quae putantur tum graviora.

Ita orthographica neglexit, non modo qualia sunt γιγνεσθαι 70, 5. γιγνωσκω 159, 15. προπενφθηναι 85, 6. αποληνψεσθε et απολημψεσθε 346, 6., γυμνειτευομεν 107, 1.; sed etiam εκκοπην 132, 6. αγιοσυνη 216, 1. αγαθοσυνης 82, 18. μεγαλοσυνης 470, 16. αραβωνα 207, 4. γενηματα 230, 21. αλλα pro αλλ plerumque praeteriit, ut 14, 6. 27, 21. 33, 2. 38, 21. 107, 3. 118, 15. 122, 6. 155, 3. 168, 14. 201, 4. Item δια pro δι 22, 5; ενεκεν pro ενεκα 47, 12. Neque maiorem curam posuit in notanda formarum grammaticarum peculiaritate. Huius generis sunt ευαγγελισαμην 169, 4. αφομοιωμενος 492, 1. εποικοδομησεν 105, 2. ενεικησεν 432, 21. κατηργασατο 83, 17. παρεδιδετο 147, 13. πειν 136, 21. αποδεκατοιν 492, 9. ηχρεωθησαν 16, 13. μαρτυρομενη 18, 2. μωμωθη pro μωμηθη 211, 17. συνισταν pro συνιστανειν 196, 9.

Accedunt vero etiam multa a Wetstenio praetermissa quorum differentia nec in orthographia nec in formatione grammatica est sita. Ita 21, 8. οὗ pro ᾧ : 29, 7. βασιλευσουσιν pro βασιλευουσι : 105, 11. φθειραι pro φθερει : 107, 7. κυριος pro ο κυριος : 113, 2. τουτου του κοσμου pro του κοσμου τουτου : 113, 5. ωφειλετε pro οφειλετε : 123, 13. γαμη pro γημη : 129, 2. εν τη ση γνωσει ο αδελφος pro αδελφος επι τη ση γνωσει : 137, 9. εξεπειρασαν pro επειρασαν : 147, 13. εν η νυκτι pro εν τη νυκτι η : 148, 21. εαυτον ο ανθρωπος pro ανθρωπος εαυτον : 157, 18. ινα καυθησομαι pro ινα καυθησωμαι : 197, 6. καρδιαις pro καρδιας : 205, 3. εξωθεν pro εξω : 206, 17. βαρυνομενοι pro βαρουμενοι : 207, 8. επιδημουντες pro ενδημουντες : 243, 12. εν τω σωματι pro εν σωματι : 477, 14. κατανοησετε pro κατανοησατε : 510, 20. προσερχομεθα pro προσερχωμεθα : Rom. 10, 11. ου μη καταισχυνθησεται pro ου καταισχ. : Rom. 10, 20. εγενομην εν τοις pro εγενομην τοις : Rom. 11, 26. αποστρεψει pro και αποστρεψει : Rom. 14, 14. αυτου pro εαυτου : 1 Cor. 10, 4. πετρα δε pro η δε πετρα : 1 Cor. 16, 15. απ αρχης pro απαρχη : Eph. 2, 7. εν χριστω pro εν χριστω ιησου : 2 Tim. 3, 9. εστιν pro εσται.

Denique plura observavi quae ille vel minus accurate vel falso ex codice Claromontano protulit. Exempla sunt 40, 8. ubi in codice est εγω αυτος, non αυτος : 55, 7. ubi recte est χ̅ς̅. Wetstenius vero specie se falli passus est ut notaret graece (h. l. latina consuluit) θ̅ς̅ : 56, 16. est πας, non οτι πας : 75, 9. notare debebat δυναται, non δυναται : 129, 6. est τυπτοντες αυτων, non τυπτ. εαυτων : 148, 16. est η πινη, non και πινη : 151, 6. non est αυτος δε, sed ο αυτος δε : 168, 4. αδελφοι μου a correctore est, non a prima manu : 203, 11. Wetstenius vult a prima legi του ι̅υ̅ χ̅υ̅, item a correctore του κ̅υ̅ ι̅υ̅; sed a prima est του χ̅υ̅, a correctore του χ̅υ̅ ι̅υ̅ : 238, 8. legitur ανεχεσθε,

stenius vero habet: ὄντως; *D. et alius, teste Beza.*

Sed iam satis est exemplorum: si quis ad editionem nostram exigere voluerit lectiones Wetstenii, cuius auctoritatem, ut iam dictum est, etiam Lachmannus in novissima editione sua Novi Testamenti anno 1850. secutus est, plura cuiusvis generis addere facile erit.

3. Quod autem studii ad graecum codicis Claromontani textum Wetstenius contulit, id antequam ille editionem Novi Testamenti suam publici iuris faceret, **Petrus Sabatier**, ordinis S. Benedicti, e congregatione S. Mauri, in latino textu posuit. Hic enim tertio tomo magni operis sui, in quo bibliorum sacrorum latinas versiones antiquas edidit, totam versionem epistularum Pauli latinam ex Claromontano et Sangermanensi codicibus haustam inseruit. Qua in re ille sic versatus est ut a diligentia critica quae nostrae aetatis hominibus videtur alienissimum se praeberet.

Primum enim *orthographiam*, cui in tali antiquitatis monumento sua est gravitas, nullo modo curavit. Ita edit *apprehendam afficiant* pro *adpraehendam adficiant; exspectamus exhortatur* pro *expertamus exortatur; impertiar impatientem immutaverunt impossibile* pro *inpertiar inpatientem inmutaverunt inpossibile; impediebar* pro *inpedibar; Phoeben* pro *phoebem* (Rom. 16, 1.); *nunquid quicunque* pro *numquid quicumque; correptionem quotiescunque* pro *conreptionem quotienscumque; obduraverunt* pro *opturaverunt; solatii* pro *solacii; querela* pro *querella; prophetiam* pro *profitiam; apud sed* pro *aput set; charitate* (Rom. 1, 7.) pro *caritate; cathechizatur* pro *catechizatur*[1]; *colaphisamur* pro *colaphizamur; quotquot* pro *quodquod; membrum* pro *menbrum* (ita aliquoties); *israelitae israel* pro *istrahelitae israhel; quotidie iniquus* pro *cottidie inicus; caeteris epenetum coelo poenitentia oboediunt obediendum* pro *ceteris epaenetum caelo paenitentia obaudiunt obaudiendum; intelligens Isaias conspersio epistola consolentur* pro *intellegens Eseias consparsia epistula consulentur; filii Isaac Aaron* pro *fili isac aron; pusillanimes* pro *pusillianimes* (393, 4.); *occasione* pro *occansione* (Rom. 2, 5. *thensaurizasti* in margine notat). Item alia plurima. Quum codex continuo fluctuet inter *b* et *v*, id aliquoties retinuit, plerumque non retinuit: ita Rom. 3, 3. retinuit *evacuarit* (in graeco est καταργήσει); 2, 27. non retinuit *iudicarit* (graece κρινεῖ); Rom. 3, 6. scripturam codicis *iudicavit*, in qua non maior quam alibi gravitas est, in margine commemorat, sed innumeris locis non commemorat. Ita etiam ubi *i* et *e*, *is* et *es*, *us* et *os* atque alia id genus inter se permutata sunt, raro scripturam codicis expressit: non modo ubi differentia nihil momenti habet, ut *volentes et currentes* pro *valentis et currentis, passurus* pro *passuros;* sed etiam locis eiusmodi ut Rom. 6, 8. ubi edidit *vivemus* pro *virimus*.

Porro vitia scripturae saepe refert in margine, potissimum per epistulam ad Hebraeos ubi frequentissima sunt; multo vero saepius non refert sed tacite corrigit. Ita pag. 498. (Hebr. 8, 5 sqq.) refert v. 9 sq. *secundas inquirere*, v. 20. *etducere*, vv. 17 et 18. *fecit* et *adprehendit* recipit in textum; sed *qualem* pro *quale* v. 17. non commemorat; vv. 13 et 14. bis legi *domum* dicit, sed altero loco est *domu;* v. 12. edit *venient*, sed in codice est *veniun*, quod corrigi debet *veniunt* (graece est ἔρχονται), non *venient*. Neque raro fit ut vitium quod de industria in margine indicat

[1] Hoc ad locum Gal. 6, 6. spectat. Statim post *cathechizatur* Sabatier recte edit *catechizat*.

Reg. delet etiam; v. 29. codex *vel tres loquantur*, Sabatier *aut tres dicant.* Contra in mediis his erroribus recte notat ex Regio ad v. 22. *in signium,* item ad v. 26. *revelationem* et *habent.* Similiter autem confusis Claromontano et Sangermanensi peccat 1 Cor. 11, 27. ubi codex habet *panem aut,* Sabatier notat *Ms. Reg. panem hunc vel*; ibidem 11, 32. ubi pro *nos ipsos iudicaremus* codicem Reg. tenere dicit *nosmetipsos diiudicaremus.* Item Coloss. 2, 10. 12. 28. 3, 2. 6. Phil. 2, 2. 4, 7 (bis) Tit. 1, 3. 5. 10. 11. 15. 2, 1 et 2. 3, 3. 1 Thess. 3, 12 2 Timoth. 4, 22. locisque aliis plurimis.

Denique permulta contra auctoritatem codicis Claromontani edidit quae non aliunde orta esse videntur nisi ex errore Sabatarii. Huius quoque generis exempla tantummodo pauca afferre par est. 7, 18. codex habet *detrectatores,* Sabatier *detractores;* 31, 1. codex *consepulti ergo,* Sabatier *consepulti enim;* 49, 16. codex *aestimantur in semen,* Sabatier *aest. in semine;* 149, 20 et 150, 20. invito codice deesse dicit *mei* et *sunt;* 177, 15. codex *surgit in gloria*, Sabatier *surgit in gloriam;* 205, 1. codex *in gloriam,* Sabatier *in victoriam;* 235, 10. codex *praesentes in facto,* Sabatier *praesentes facto;* 293, 20. codex *memoriam faciens,* Sabatier *memoriam vestri faciens;* 315, 1. codex *estote itaque in invicem benigni,* Sabatier *estote invicem benigni;* 344, 4 codex *donavit nobis,* Sabatier *donavit vobis;* 360, 5. codex *detractationibus,* Sabatier *detractionibus;* 367, 17. codex *nostra enim,* Sabatier *nostra autem;* 388, 1. codex *in invicem,* Sabatier *invicem;* 406, 1. codex *Christi Iesu,* Sabatier *Iesu Christi;* 476, 17. codex *timetu*, Sabatier *ii metu;* 498, 7. codex *sanctum,* Sabatier *sancitum;* 498, 14. codex *dominum* (DOM), Sabatier *deum;* 502, 6. codex *solummodo,* Sabatier *solum;* 522, 15. codex *surrectione,* Sabatier *resurrectione;* 524, 10. codex *proposito,* Sabatier *deposito;* 525, 14. codex *cuius participes.* Sabatier *cui participes;* 532, 4 sq. codex *hic manentem,* Sabatier *manentem hic;* 533, 3. codex *prode fit,* Sabatier *proderit.*

Atque haec dicta sunto de latino Claromontani codicis textu apud Sabatarium exhibito. Tot igitur tantisque ille vitiis corruptus est ut nemo ad illius opus exigere nostrum queat aut, si qua inter nos differre viderit, dubitare possit uter nostrum fidelius scripturam codicis expresserit.

---

[1]) Ita Rom. 1, 21. edit *Quia cum*, nota in margine addita *Reg. qui cum*, *expuncta lit. a.* Sed in codice contrarium est: a prima enim legitur *Qui*, et a correctore additur *a*, ut iam sit *Quia*.

[2]) Ita 24, 18. (Rom. 4, 23.) *ad iustitiam*, quae a prima plane desunt: item 107, 16. (1 Cor. 4, 6.) *in vobis*, pro quibus a prima est *in nobis*; 9, 10. (Rom. 2, 5.) *secundum duritiam autem*, sed prima habet *secundum autem duritiam*; item 9, 11. (ibidem) *et impoenitens cor* (in ipso codice correctum est *cor inpaenitens*), sed prima manu scriptum est *et sine paenitentiam cor*: 11, 18. (Rom. 2, 15.) *vel etiam*, sed a prima est *aut etiam*.

5. Denique breviter ratio reddenda videtur eorum laborum qui in enucleandis fragmentis deperditae fabulae Euripideae, sub recentiore scriptura foliorum 162 et 163. delitescentibus, a pluribus viris doctis positi sunt. Qua de re quum nihil novi dicere habeam[3]), satis habebo repetere quae Godofredus Hermannus anno 1821. de studiis ad haec fragmenta collatis exposuit. Eo enim anno dissertationem scripsit, in tertio opusculorum volumine repetitam, cum hoc titulo: *Euripidis fragmenta duo Phaethontis e codice Claromontano edita.* Ex huius dissertationis paginis prioribus ad verbum excerpta sunt ea quae iam sequuntur.

– – Dicam qui factum sit, ut in hoc argumentum inciderem. Im. Bekkerus, cuius viri multam et humanitatem et liberalitatem expertus sum, quum ex Gallia et Britannia Berolinum rediens Lipsiam venisset, communicavit mecum fragmenta Phaethontis Euripidei, Parisiis e codice Claromontano a se descripta. Quae ego quum valde corrupta esse animadvertissem, seposui tractanda, si quando otio abundarem. Nuper vero allato mihi novissimo volumine Diarii classici, in quo eadem fragmenta G. Burgesius edidit, quum huius coniecturis non multum profici viderem, ipse aliquot horas huic rei impendi, quumque edenda mihi aliqua dissertatio esset, iam in eo eram ut aliquid de his versibus conscriberem, quum ex Frid. Osanno, qui Berolino Ienam se conferens me visum venerat, accepi, H. Hasium Philos. D. qui Dresdae asservandis antiquis statuis praefectus est, diligenter ad ipsum codicem expressa descripsisse fragmenta illa. Itaque hunc virum, cuius nota mihi erat humanitas, rogavi ut huius exempli mihi copiam faceret. Talia enim qui emendare aggreditur, figuras litterarum quales in codice sunt cognitas habere debet. Ab Hasio non solum liberalissime mihi missum est apographum illud cum exemplo dissertationis, quam ut Analectis litterariis Wolfii insereretur scripserat, sed etiam per litteras compellatus A. Matthiae, cui Hasius aliud idque accuratius etiam apographum, ab affine suo, Hasio qui bibliothecae Regiae Parisinae *praefectus* est, cum ipso codice iterum iterumque collatum, dederat. Hinc Matthiae quoque – – mihi scripsit, asservari illud apographum una cum dissertatione H. Hasii et suis aliquot emendationibus Berolini apud Wolfium, a quo illud repeterem. – – remisit Altenburgum: unde ea statim Matthiae mecum communicavit. Ita factum est ut horum virorum favore promptaque voluntate copia mihi fieret ex ipsis litterarum figuris coniectandi quid scriptum esset in codice. De eo codice cuius duo postrema[4]) folia, in quibus haec Euripidis fragmenta scripta fuerant, reciso imo margine magnitudini codicis aptata, rescripta sunt, deleta veteri scriptura, disseruerunt, quos nominavit Hasius, Wetstenius in Prolegom. in N. T. vol. II. p. 6. vel ex Semleri editione p. 544 sqq.

---

[1]) Cf. Symb. crit. II. pag. 32. *Atque cum Wetstenius profiteatur, bis se Claromontanum quantum potuerit accuratissime contulisse, a nova collatione, ne actum agendo tempus perderem, abstinui.*

[2]) Non praetereundum est, pag. 38. lectionem loci 1 Cor. 15, 29. eum non recte assecutum esse. est enim in codice βαπτιζοντε (pro βαπτιζονται), non βαπτιζοντες. Memini etiam Griesbachium ex Millio „παραπτωμάτων D^{gr}" ad Rom. 5, 18. male repetisse.

[3]) Tamen haud dissimulo me dubitare an omnia a viris doctis ex vetustis membranis recte sint exscripta.

[4]) Non postrema sunt sed media. Sunt enim numero 162 et 163. notata; totus vero codex 533 complectitur.

Quum auctumno anni 1840. Parisios venissem, labores suscepturus in promovenda re Novi Testamenti critica gravissimos, primo loco ponebam duos Novi Testamenti codices antiquissimos, alterum palimpsestum a textu suprascripto nomine Ephraemi Syri dictum, alterum ex auctoritate Bezae nomine Claromontani insignitum. Hunc ut libere tractarem, per praefectum bibliothecae licuit; non idem statim in illo licuit. Omni igitur cunctatione abiecta id egi ut Claromontani codicis textum et graecum et latinum quingentis triginta tribus, i. e. totidem quot ipse codex habet, foliis totum ad verbum transscriberem. Quum autem antiqua eius codicis scriptura in universum satis conservata esset atque pro liberali bibliothecae Regiae instituto quinque per diem horas operi impendere liceret, res tam bene processit ut duobus mensibus propositum peragerem. Erat haec laboris in quem incumbendum videbatur prima pars; altera in eo consistebat ut quae manu mea scripseram ad scripturam codicis recognoscerem, lectu difficiliora certius eruerem, inprimis locos a variis correctoribus tractatos subtilius perscrutarer. Quam alteram partem quum absolvissem, ut confidebam antiquissimam scripturam in apographo meo ubique fideliter redditam esse, ita didiceram correctorum rationes, quas adieram duce Griesbachio, ad definiendum difficillimas, necdum penitus a me aut a Griesbachio perspectas esse. Sed tum Codex Ephraemi Syri rescriptus aliique urgebant labores, ut Claromontanum librum posteriore tempore retractandum seponerem. Retractavi vero totum anno fere post: qua re factum est ut de multis locis ex emendationum varietate implicitis multo confidentius statuere possem.

Eodem tempore cordi mihi erat ut quae indefessis studiis usui publico parassem, ea mox in publicum emitterem. Qua mente proposui curatoribus clarissimae academiae Oxoniensis ut codicem Claromontanum meis curis ipsorumque sumtibus ederent. Quos enim per superiora saecula publicandis editionibus Novi Testamenti Felliana et Milliana, Veteris Testamenti Kennicottiana et Holmesiana, de sacris litteris bene meritos sciebam, eos antiquae famae

[1]) Ex his viris de ipsis his fragmentis Euripideae fabulae disseruerunt praeter Hasium Wetstenius, Semlerus, Griesbachius, etsi parum profecerunt in legenda veteri scriptura.

[2]) Incipit ex Hermanni emendata editione sic: Μνησθεὶς δ' μοί ποτ' εἶφ', ὅτ' εὐνάσθη, θεός, αἰτοῦ τί χρήζεις ἕν· πέρα γὰρ οὐ θέμις λαβεῖν σε· κἂν μὲν τυγχάνῃς, σάφ' ἴσθ' ὅτι

[3]) Incipit apud Hermannum: σινδὼν δὲ πρότονον ἐπὶ μέσον πελάσσει. τὰ μὲν οὖν ἑτέροισι μέρμηνα πέλει. (ἀντ. β΄.)

[4]) Hermannus initium sic exhibet: Πυρσοῦσσ' Ἐρινὺς ἐν νεκροῖς θερίζειν ζῶσ' ἤδ' ἀνήρ' ἀτμὸν ἐμφανῆ . . .

[5]) Incipit apud Hermannum: θεᾶς προσελθὴ τέμενος ἐξ ἐμῶν δόμων. ὦ δέσποτ', ἔστρεψ' ἐκ δομῶν ταχὺν πόδα.

nobis moris est pecunias Academicas erogare, nisi cum spe aliqua, utcunque parva, reditus atque emolumenti. – – d. Oxonii Dec 10°. 1841.

Qua in re non tantum hoc dolendum erat quod viri Oxonienses clarissimi opus meum recusabant; sed videbatur etiam id ita factum esse ut aliter atque ego ipse de eius operis gravitate existimarent. De hac vero ab illis dissentire malebam quam meam mutare sententiam: quam aliquando optimos quosque probaturos esse ut ipse confidebam, ita Caroli Lachmanni auctoritas confirmare videbatur, in Studiis Theologicis et Criticis anni 1830. testati, editurum codicem Ephraemi et codicem Claromontanum immortali merito de re Novi Testamenti critica auctum iri[3]); quemadmodum rursus de altero horum codicum in prolegomenis ad evangeliorum textum pag. XXIII. ita scripsit: „Parisiis per hos proximos centum annos nemo inventus est qui tanto thesauro promendo ecclesiae Christianae bene faceret[4]).“

Sed antequam curam edendi Claromontani codicis recipere contigit, apographo meo usus sum in paranda editione Novi Testamenti altera Lipsiensi. Quo ex labore quum intellexissem quartam totius codicis retractationem egregie valituram esse ad correctorum lectiones ex apographo meo recte edendas, potissimum ad lectiones correctorum primi (D^{**}) et secundi (D^{***}) qui nobis dicuntur distinguendas, operam dedi ut hieme anni 1849. Parisios repeterem. Hoc mihi contigit favore viri summi Ferdinandi de Beust, regi Saxoniae a supremis reipublicae ministris. Hieme igitur anni 1849. quartum institui totius codicis examen, unde exemplum meum quibuscunque locis opus erat emendatum est. Iam vero ex eo ad edendum paratissimus eram.

Ceterum edendi tanti thesauri bibliothecae Regiae veniam a summo regis Francorum ministro, penes quem earum rerum auctoritas erat, iam impetravi quum de Oxoniensi editione adnitebar. Eam is qui praefectorum bibliothecae Regiae nomine ad me scripsit, vir de studiis meis meritissimus, his verbis mecum communicavit:

Monsieur,

Je m'empresse de vous avertir que Mr. le Ministre de l'instruction publique vient de vous autoriser à publier le texte grec des Epîtres de S. Paul et la version latine, l'un et l'autre contenus dans le ms. 107.

---

[1]) Haec secundis curis addita sunt.

[2]) Quantus hic de apographo codicis Claromontani Oxoniensi error sit, vide supra pag. XXX., ubi id ad rem criticam prorsus inutile esse probavi.

[3]) „Durch einen Abdruck des codex regius Ephraemi und des Claromontanus konnten Pariser Gelehrte sich ein unsterbliches Verdienst um die Kritik des Neuen Testaments erwerben.“ Cf. Theologische Studien und Kritiken 1830. p. 832.

[4]) Quo rectius Carolus Lachmannus, cui res Novi Testamenti critica inprimis curae fuisse inter omnes constat, de auctoritate utriusque thesauri Parisiensis existimavit, eo magis dolendum est nec Ephraemi codicem ad textum evangeliorum nec Claromontanum ad textum epistularum Pauli ab ipso aliter quam ex Wetstenii et Sabatarii studiis adhiberi potuisse. Quod enim de codice Ephraemi olim a me dictum est, idem in Claromontanum quadrare nunc intellexi: innumeri enim errores a Wetstenio et Sabatario ad nuperrimum Lachmanni opus transierunt.

tur. Identidem accidit, vel ubi de vitiosa codicis scriptura dubitabam vel ubi Wetstenium aut Sabatarium a me discrepare videbam, ut fidem apographi mei suspectam haberem. Sed quaecunque dubia erant, ea officio duorum amicorum Parisiensium benevolentissimorum denuo ad ipsum codicem exigebantur. Unde si quid textu iam typis exscripto resciebam, id in appendicem[1]) recepi. Praeterea iam antea lectiones codicis Claromontani in nupera editione mea Novi Testamenti allatas doctissimus Tregellius cum ipso codice contulerat. Sed in ea editione nondum ubique posteriores manus indicatae sunt, eaque iam absoluta demum quartum codicis examen institui. Nihilominus uno ille loco articulum a correctore obelis notatum animadvertit ubi obelos ego non notaveram; altero vero loco aliquid assecutus sibi videbatur quod errorem mihi videri significavi in appendice. Huius autem conficiendi quantus labor fuerit, ex numero lectionum quae ibi tractantur indicari poterit. Iste numerus tria millia longe excedit. Praeter locos a correctoribus mutatos multarum etiam vitiosarum lectionum, latini potissimum textus, quae correctorem non invenerunt, facta est mentio; etsi plura alia eius generis non notata sunt, maxime eiusmodi quae cum aliqua constantia scribuntur, ut praepositiones cum alio casu compositae quam quocum componi solent; ut syllabae exeuntes in *is* pro *es* rursusque in *es* pro *is*, in *us* pro *os* itemque in *os* pro *us*; ut *ad* pro *ab* scriptum, et orthographica similia. Appendici autem lucem afferunt prolegomena, quibus, addito insuper facsimili quod dicunt, providi ut viri docti totum codicis habitum atque rationem nec non historiam perspectam atque cognitam haberent.

Iam vero etiam atque etiam mihi gratulor quod, pro beneficio et gratia Dei, sex voluminibus illis monumentorum sacrorum ineditorum per hos decem annos a me in lucem emissis[2]) codicem Claromontanum tot nominibus

---

[1]) Ita 180, 11. in apographo meo est *exierunt aegypto*, apud Sabatarium *exierunt de aegypto*. Quum autem facilius sit omittendo quam addendo errare, in vulgata vero versione non *de* sed *ex* legatur, praetereaque *de* Lucifer Calaritanus tueatur, eo loco me errasse suspicabar. Nihilominus mox rescivi non me sed Sabatarium errasse. Similiter 49, 17. in apographo meo est επαγγελιας γαρ λογος ουτος, sine articulo ante λογος. Quod quum pro mero vitio habendum neque mutatum esset ab ullo eorum correctorum qui epistulam ad Romanos attigere, neque magis a Wetstenio, etsi talia alibi habet, notatum, articulum a me praetermissum credebam. At mox Parisiis mihi rescriptum est, in ipso codice articulum omissum nec a quoquam suppletum esse.

[2]) Codex Ephraemi Syri rescriptus sive Fragmenta utriusque Testamenti e codice graeco Parisiensi celeberrimo quinti ut videtur post Christum saeculi eruit atque edidit C. Tischendorf. 2 Tomi. 1843. 1845. — Monumenta sacra inedita sive Reliquiae antiquissimae textus Novi Testamenti graeci ex novem plus mille annorum codicibus per Europam dispersis eruit atque edidit C. Tischendorf. 1846. — Codex Friderico-Augustanus sive Fragmenta Veteris Testamenti e codice graeco omnium qui in Europa supersunt facile antiquissimo. In oriente detexit, in patriam attulit, ad modum codicis edidit C. Tischendorf. 1846. — Evangelium Palatinum ineditum

sive Reliquiae textus evangeliorum latini ante Hieronymum versi ex codice Palatino purpureo quarti vel quinti post Christum saeculi nunc primum eruit atque edidit C. Tischendorf. 1847. — Codex Amiatinus sive Novum Testamentum latine interprete Hieronymo. Ex codice celeberrimo Amiatino, omnium qui supersunt et antiquissimo et praestantissimo nunc primum edidit C. Tischendorf. 1850.

[1]) In his est vir nomine apud Genevenses claro, Favre Bertrand. Qui quum dudum antequam codicis Claromontani editio publice annuntiaretur vita decessisset, filius Edmond Favre liberale patris promissum servare pietatis duxit.

[1]) Mutatis inter imprimendum paginis secundae plagulae pag. XV. v. 1. pro III. scribendum erat XI; ibidem v. 12. pro IV. scribendum erat XII.

---

[1]) In ipso codice numeros habent 162 et 163: apud nos sunt columnae graecae paginarum 163 et 164, item columnae vacuae latini textus pagg 162 et 165.

[2]) Pag. XXIV. v. 11. lege Εὐχαριστῶ.

ΚΑΙΘΩΜΗΑΡΕCΚΟΝΤΩΝ
ΚΑΙΠΑCΙΝΑΝΘΡΩΠΟΙC
ΕΝΑΝΤΙΩΝ
ΚΩΛΥΟΝΤΩΝΗΜΑC
ΤΟΙCΕΘΝΕCΙΝΛΑΛΗCΑΙΙΝΑCΩΘΩCΙ
ΕΙCΤΟΑΝΑΠΛΗΡΩCΑΙΑΥΤΩΝ
ΤΑCΑΜΑΡΤΙΑCΠΑΝΤΟΤΕ
Κ ΕΦΘΑCΕΝΔΕΕΠΑΥΤΟΥC
ΗΟΡΓΗΤΟΥΘΥΕΙCΤΕΛΟC
ΗΜΕΙCΔΕΑΔΕΛΦΟΙ
ΑΠΟΡΦΑΝΙCΘΕΝΤΕCΑΦΥΜΩΝ
ΠΡΟCΚΑΙΡΟΝΩΡΑC
ΠΡΟCΩΠΩΟΥΚΑΡΔΙΑ

Cod. Claromont. ed. Tischendorf *Tregelles del.*

contrari
prohibentesnos
gentibusloquiutsaluentur
utcompleanturipsorum
peccatasemper
praeuenitautemsupereos
iradeiusqueadfinem
nosautemfratres
desolatiauobis
adtempushorae
facienoncorde

Lith. Anst. v. J. G. Bach

— — — — QVI PRAEDESTINATVS EST FILIVS DEI
— — — — IN VIRTVTE
— — — — SECVNDVM SPM SANCTIFICATIONIS
— — — — EX RESVRRECTIONE MORTVORVM
— — — — IHV XPI DMI N·
— — — — PER QVEM ACCEPIMVS GRATIAM
— — — — ET APOSTOLATVM
— — — — AD OBAVDIENDVM FIDEI
— — — — IN OMNIBVS GENTIBVS
— — — — PRO NOMINE EIVS
— — — — IN QVIBVS ESTIS ET VOS
— — — — VOCATI IHV XPI
— — — — OMNIBVS QVI SVNT ROMAE IN CARITATE DEI

ΤΩΘ̅Ω̅ΜΟΥ
ΔΙΑΙ̅Υ̅Χ̅Υ̅ΠΕΡΙΠΑΝΤΩΝΥΜΩΝ
ΟΤΙΗΠΙϹΤΙϹΥΜΩΝΚΑΤΑΓΓΕΛΛΕΤΕ
ΕΝΟΛΩΤΩΚΟϹΜΩ
ΜΑΡΤΥΡΓΑΡΜΟΙΕϹΤΙΝΟΘ̅Ϲ̅
ΩΛΑΤΡΕΥΩΕΝΤΩΠ̅Ν̅Ι̅ΜΟΥ
ΕΝΤΩΕΥΑΓΓΕΛΙΩΤΟΥΥΙΟΥΑΥΤΟΥ
ΩϹΑΔΙΑΛΙΠΤΩϹ
ΜΝΙΑΝΥΜΩΝΠΟΙΟΥΜΑΙ
ΠΑΝΤΟΤΕ
ΕΠΙΤΩΝΠΡΟϹΕΥΧΩΝΜΟΥ
ΔΕΟΜΕΝΟϹ
ΕΙΠΩϹΗΔΗΠΟΤΕ
ΕΥΟΔΩΘΗϹΟΜΑΙ
ΕΝΤΩΘΕΛΗΜΑΤΙΤΟΥΘ̅Υ̅
ΕΛΘΕΙΝΠΡΟϹΥΜΑϹ

DEO MEO
PER IH̅M X̅P̅M PRO OMNIBVS VOBIS
QVIA FIDES VESTRA ADNVNTIATVR
IN VNIVERSO MVNDO
TESTIS ENIM MIHI EST DEVS
CVI SERVIO IN SP̅V̅ MEO
IN EVANGELIO FILII EIVS
QVOD SINE INTERMISSIONE
MEMORIAM VESTRI FACIO
SEMPER
IN ORATIONIBVS MEIS
OBSECRANS
SI QVOMODO TANDEM ALIQVANDO
PROSPERVM ITER HABEAM
IN VOLVNTATE DEI
VENIENDI AD VOS

ΟΥΚΟΙΟΜΕΔΕΥΜΑϹ
ΑΓΝΟΕΙΝΑΔΕΛΦΟΙ
ΟΤΙΠΟΛΛΑΚΙϹΠΡΟΕΘΕΜΗΝ
ΕΛΘΕΙΝΠΡΟϹΥΜΑϹ
ΚΑΙΕΚΩΛΥΘΗΝΑΧΡΙΤΟΥΔΕΥΡΟ
ΙΝΑΤΙΚΑΡΠΟΝϹΧΩ
ΚΑΙΕΝΥΜΕΙΝ
ΚΑΘΩϹΚΑΙΕΝΤΟΙϹΛΟΙΠΟΙϹΕΘΝΕϹΙΝ
ΕΛΛΗϹΙΝΤΕΚΑΙΒΑΡΒΑΡΟΙϹ
ϹΟΦΟΙϹΤΕΚΑΙΑΝΟΗΤΟΙϹ
ΟΦΙΛΕΤΗϹΕΙΜΙ
ΟΥΤΩϹΤΟΚΑΤΕΜΕΠΡΟΘΥΜΟΝ
ΚΑΙΕΝΥΜΕΙΝΤΟΙϹΕΝΡΩΜΗΕΥΑΓΓΕΛΙϹΑϹΘΕ

NON AVTEM ARBITROR VOS
IGNORARE FRATRES
QVIA SAEPE PROPOSVI
VENIRE AD VOS
ET PROHIBITVS SVM VSQVE ADHVC
VT ALIQVEM FRVCTVM HABEAM
ET IN VOBIS
SICVT ET IN CETERIS GENTIBVS
GRAECIS AC BARBARIS
SAPIENTIBVS ET INSIPIENTIBVS
DEBITOR SVM
ITA QVOD IN ME EST PROMPTVS SVM
ET IN VOBIS IN ROMA EVANGELIZARE

ΑΠΟΚΑΛΥΠΤΕΤΑΙ
ΕΚΠΙϹΤΕѠϹΕΙϹΠΙϹΤΙΝ
ΚΑΘѠϹΓΕΓΡΑΠΤΑΙ
ΟΔΕΔΙΚΑΙΟϹΕΚΠΙϹΤΕѠϹΖΗϹΕΤΑΙ
ΑΠΟΚΑΛΥΠΤΕΤΑΙΓΑΡΟΡΓΗΘΟΥ
ΑΠΟΥΡΑΝΟΥ
ΕΠΙΠΑϹΑΝΑϹΕΒΕΙΑΝ
ΚΑΙΑΔΙΚΙΑΝΤѠΝΑΝѠΝ
ΤѠΝΤΗΝΑΛΗΘΕΙΑΝ
ΕΝΑΔΙΚΙΑΚΑΤΕΧΟΝΤѠΝ
ΔΙΟΤΙΤΟΓΝѠϹΤΟΝΤΟΥΘΥ
ΦΑΝΕΡΟΝΕϹΤΙΝΕΝΑΥΤΟΙϹ
ΟΘϹΓΑΡΑΥΤΟΙϹΕΦΑΝΕΡѠϹΕΝ
